DE PRAEPARATIONE AD MORTEM

OPUSCULUM

JOANNIS CARD. BONAE

ORD. CISTERC. CONGR. REFORMAT. S. BERNARDI

NUNC DENUO PRODIT



ROMÆ
Typis Rev. Cam. Apostolicae
1842

AD LECTOREM

Quale quantumve sit hujus libelli pretium, neminem, qui tamen illustriorum virorum opera penitus non ignoret, latere potest. Cardinalis Bonæ siquidem doctrina pietasque toto orbe innotescit. Attamen hoc unum addam, quod prolixæ panegyris loco habendum est profecto: scilicet, Cardinalem Barberinium tanti libellum hunc fecisse, ut cum pastoralem allocutionem ad Clerum, populumque Veliternensem dirigere deberet, post pauca verba libellum Bonæ commendaverit & dederit, qui, ut ipse ait, vice sua eos erudiret, locumque prolixioris exhortationis impleret quam optime. Cur itaque non licebit & mihi hæc eadem repetere tibi, libellum aureum novis e typis exhibendo? Faxit Deus! ut ipso in animæ tuæ bonum utare. Vale.

REIMPRIMATUR

Fr. Dominicus Buttaoni Ordinis Prædicatorum S. P. A. Magister.

REIMPRIMATUR

Joseph Maria Vespignani Arch. Tian. Vicesgerens.

DE PRÆPARATIONE
AD MORTEM

§. 1. Stoliditas hominum non se præparantium ad mortem.

Quotidie morimur, & quasi aquæ dilabimur super terram, quæ non revertuntur: Vix tamen aliquis est, qui de hac re serio cogitet, ac si mors nullo modo ad homines pertineret. Quod si uni istorum, qui se sapientes existimant, vel filii, vel alterius necessarii nuptiæ tractandæ sint, qua diligentiam puellæ mores, dotes, & facultates investigat? quam sedulo examinat parentum conditionem, & generis qualitatem? quot in hac re consilia adhibet, nec pecuniæ parcens, nec labori? & si iter agendum sit in exteras regiones, nonne statim de via deliberat, terrane an mari ineunda sit, socios deligit, sarcinas parat, quæritque ab expertis, quid necessarium sit ad illud iter, ut

ad locum destinatum tuto possit pervenire? de negotio autem salutis æternæ, de via alterius vitæ nemo sollicitus est, nemo recogitat. O stultas hominum mentes, o pectora cæca! Utinam saperent, & intelligerent, ac novissima providerent. Si omnes homines, & omnes Angeli omnem ingenii capacitatem, & vires mentis toto conatu ad hoc applicarent, ut nos serio edocerent, quanti momenti sit bene, vel male mori, vix tamen possent rei magnitudinem quacunque verborum serie, quacunque vi dicendi adæquare. Statutum est hominibus semel mori, & a tantillo mortis puncto infinita sæculorum volumina pendent nullo unquam fine evolvenda. Ab hoc momento pendet æternitas, vel beatissima in Cælo, vel miserrima in Inferno. Si male cedit hoc punctum, jactura irreparabilis est. Pessima est mors peccatorum, quia virum injustum mala capient in interitu: Mors vero justorum pretiosa est in conspectu Domini, quia timenti Deum bene erit in extremis, & in die defunctionis suæ benedicetur. Homo ...ri comparatur: si ceciderit ad Au-

strum, aut ad Aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit in æternum. Sæpe igitur cogitandum est, quod non nisi semel faciendum est. Ultimus dies ideo latet, ut omnes sedulo observentur.

§. 2. Triplex ad mortem præparatio.

Mirum profecto est quod multi multa sciant, id interim nescientes, quod scitu dignissimum, & necessarium est, artem nimirum bene moriendi, quæ merito ars artium, & scientia scientiarum dici potest. Extant de hac re tum veterum, tum recentiorum Scriptorum piæ admodum, & copiosæ lucubrationes, ex quarum diligenti, & assidua lectione hujus artis notitiam tibi poteris comparare. Ex his excerpsi in quotidianum usum, quæ sequuntur.

I. Præparatio ad mortem triplex est, Remota, Propinqua, & Proxima; Remota ab ipso exordio usus rationis ineunda est, adeo ut talem vitam ducere satagas, qualem cupis futuram mortem. Mors est echo vitæ: si vita dixerit bonum, bo-

num respondebit & mors: si malum, malum pariter mors resonabit. Primum igitur præceptum ad remotam Præparationem spectans, est bene vivere. 2. Mundo mori, antequam vitæ corporali moriaris. Nam in mundo vivere, & mundi bona, divitias scilicet, honores, & voluptates non amare res difficillima est. Quare e mundo exire oportet si non re, saltem affectu; & dicere cum Apostolo: mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. 3. Vivere Deo, postquam exieris de Mundo, per exercitium externæ, & internæ mortificationis, & studium virtutum. 4. Mortis quotidie memorem esse, atque illius extremæ horæ, quando anima tua e corpore egredietur: & quemlibet diem tanquam postremum observare. 5. Semper vigilare, quia nescis horam, qua Dominus venturus est. 6. Ad legem Dei semper respicere, non ad pulchritudinem, & splendorem rerum externarum, ne forte earum illecebris illectus mandatorum Dei obliviscaris. 7. Orationi semper incumbere: frequenter jejunare, egentibus eleemosynas pro viribus

elargiri; B. Virginis patrocinium, Sanctique Angeli custodis, Sancti Michaelis, & Sanctorum Tutelarium suffragia pro illa hora certis quotidie precibus implorare. 8. Generalem confessionem instituere aut totius vitæ, aut earum rerum, quæ magis animam gravant juxta prudentis Confessarii consilium, omnia clare explicando, quæ ab adversario proponi possent in articulo mortis, tutioribus inhærendo opinionibus. 9. Abstinere deinceps ab omni peccato, etiam a venialibus voluntariis. 10. De rebus suis disponere condito testamento; qui enim ad extremam infirmitatem hoc differt, sæpe ducitur quo non vult. 11. Cum inimicis reconciliari, & eis ex animo ignoscere. 12. Amicum fidelem præparare, qui in extrema lucta te adjuvet, & morienti assistat.

II. Ad propinquam Præparationem, qua munire te debes in infirmitate, hæc præcipue requiruntur. 1. Ut deposita vana, & inutili spe vitæ prorogandæ, credas omnino te ex illa ægritudine moriturum, ideoque ad vicinam mortem, & judicium futurum diligenter te præpares, quia de

omnibus operibus, verbis, & cogitationibus tuis, atque de omissionibus exactam rationem redditurus es. 2. Ut ipsum morbum patienter feras; & ad majora, si Deo placuerit, sustinenda paratum te offeras. 3. Ut de rebus temporalibus condito Testamento, si forte hucusque dilatum est, disponas: quatenus mens terrenis curis exonerata, liberius ad æterna se applicet. 4. Ut si alicui restitutioni obnoxius es, satisfacias per te ipsum, si fieri potest; alioquin per hæredes. 5. Ut Sacramentis te munias cum vera contritione, & devotione; actusque elicias fidei, spei, & charitatis, patientiæ, resignationis, & aliarum virtutum. 6. Ut a singulis, quos offendisti, veniam humiliter petas. 7. Ut abstineas a querimoniis, verbisque otiosis, cum ab amicis visitaris. 8. Ut cures quotidie tibi aliquid legi de passione Domini, de vita, & morte Sanctorum, vel certe aliud, quod te excitet ad compunctionem, & amorem Dei. 9. Ut cures in conspectu tuo pias imagines esse, præsertim Beatæ Virginis, & Christi Crucifixi, ad quos frequenter cor elevabis. 10. Ut te armes adversus multi-

plices Diaboli tentationes, modo infra explicando. 11. Ut ignitis oratiunculis crebro ad Deum aspires. 11. Ut acerbissimæ Christi passionis assidue memor sis, ejusque patientiam imiteris.

III. Proxima tandem Præparatio, cum ad extrema deventum est, his regulis continetur. 1. Ut cœleste Viaticum accipias, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens impletur gratia, & futuræ gloriæ pignus datur. 2. Ut extrema Unctione te munias, qua tolluntur reliquiæ peccatorum, animus exhilaratur, & ad pugnam cum Dœmone roboratur. 3. Occasiones diligenter observabis promerendi Indulgentias, quascumque lucrari poteris: rogabisque amicos, ut eas tibi defuncto applicent. 4. Superiorem precaberis, vel Confessarium, ut tibi mori ex obedientia, atque in satisfactionem peccatorum tuorum injungat, ut sic Christum imiteris, qui factus est obediens usque ad mortem. 5. Finges Sanctos adstare lecto, præsertim B. Virginem, & tuos Tutelares, quos ferventer quasi præsentes compellabis, & te ipsis, ac Deo commendabis.

6. Plenam habebis fiduciam in meritis Salvatoris, non in tuis bonis operibus: teque totum immerges cum universis peccatis, & negligentiis tuis in immensum pelagus misericordiæ ipsius; & intra vulnera ejus, quæ devote osculaberis, te abscondes. 7. Ab omnibus rebus caducis, & temporalibus te avertes; totisque viribus, & affectu convertes te ad Deum, ut illi uniaris, ejusque facie perfruaris in Cœlo. 8. Acerbissimam Christi passionem, & mortem, ejusque charitatem tibi proponens, spiritum tuum, animam, & corpus cum illius ferventi spiritu, afflicta anima, & saucio corpore unire satages: & sicut ille oravit, ita & tu orabis, & cum eodem spiritum tuum Patri commendabis. 9. Teipsum ut hostiam vivam ad maximam Dei gloriam offeres, & resignabis ad sufferendam patienter, & amanter pro acceptissima illius voluntate omnem languoris acerbitatem, ipsam mortis amaritudinem, omnemque pœnam in tempore, & in æternitate. 10. Sic affectus eris, ut mortem potius subire velis pro Dei amore, & gloria, quam mille adhuc annis vivere in omni gaudio, & vo-

luptate, si hoc ex tuo penderet arbitrio. 11. Protestationes fidei, & alias, de quibus infra §.6. ingenti affectu, & devotione, brevibus saltem suspiriis renovabis. 12. Extremas Ecclesiæ functiones erga morientes interno fervore, & spiritu comitari studebis, olei scilicet sancti unctionem, animæ commendationem, Litanias, & alias preces, quibus, si non ore, saltem corde respondebis. Cum vero succensus cereus tibi porrectus fuerit, eum manu prehendes, renovato actu fidei, & spei futuræ beatitudinis, & sic obviam ibis Sponso, elicito ferventissimo actu amoris Dei. Demum postrema tua verba erunt Sanctissima nomina Jesu, & Mariæ; & illa, quæ Christus in cruce dixit, priusquam expiraret; *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.*

§. 3. De morientium tentationibus, et earum remediis.

Adversarius noster Diabolus, qui observat calcaneum nostrum, eique insidiatur, cum hominem in extremis constitu-

tum animadvertit, accedit statim ad eum habens iram magnam, & acrius contra morientem insurgit, sciens quia modicum tempus habet. Quamvis autem sint plurimi, ac varii modi, quibus in horribili mortis articulo impugnare nos solet; omnes tamen ad septem rediguntur, qui sunt: Timor mortis, Impatientia, Infidelitas, Desperatio, Præsumptio, Odium Dei, & visibiles Apparitiones.

I.

DE TIMORE MORTIS.

Sunt nonnulli, qui ex inordinato vitæ amore, ex apprehensione vicinæ mortis, ex nimio affectu rerum terrenarum, quibus adhærent, tanto timore concutiuntur, ut vel solum mortis nomen perhorrescant. Porro hæc tentatio tria secum maxima mala advehit, quia dum homo invitus moritur, privat se merito singulari, quod habuisset ex conformitate cum Divina voluntate, cui repugnare censetur, cum mortem sibi a Deo immissam voluntarie non acceptat. Deinde non se disponit ad Vitam æternam,

cum ex hac exire formidat. Demum ipse sibi cruciatum auget, quia mors eo magis amara est, quo plus vita diligitur.

Debet autem qui sic tentatur juvari primo variis rationibus, quibus nimius amor vitæ reprimatur, & apprehensa mortis acerbitas minuatur. Legendi de hac re Cyprianus serm. *de mortalitate*; & Ambrosius lib. *de bono mortis*. Quid enim trepidas ad nomen mortis? Statutum est omnibus hominibus semel mori. Velis nolis, hoc tributum solvendum est. Nihil est metuendum quod affert necessitas naturæ. Posses vitæ hujus exitum non timere, si alterius ingressum optares. Mors malorum finis, dolorum meta, bonorum initium est. E tetro carcere, e durissimo exilio, ex molestissima peregrinatione vocat te tui amantissimus Deus ad libertatem, ad patriam, ad regnum: cur læto animo non sequeris vocantem? Sapiens magis laudat mortuos, quam viventes; & diem mortis meliorem asserit esse, quam dies nativitatis. In hac vita militia est, in æterna triumphus: in hac labor assiduus, in illa requies sempiterna. An re-

quiei laborem, triumpho pugnam, bono malum vis præferre? Audi quid dicat Scriptura: *Filii Sanctorum sumus, & vitam illam expectamus, quam Deus daturus est iis, qui fidem suam nunquam mutant ab eo.* Quod si mortem tuam tametsi necessariam, & inevitabilem libenter acceptas, & offers ad Dei beneplacitum, erit hoc sacrificium Deo gratissimum, & tibi maxime propitiabile. David pertæsus miserias hujus vitæ dicebat: *Heu me quia incolatus meus prolongatus est.* Paulus Apostolus cupiebat dissolvi, & esse cum Christo; & exclamabat: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Optime Cyprianus, *illius est mortem timere, qui non vult regnare cum Christo.*

Secundo repellendus est timor mortis orationibus tum aliorum, tum ipsius infirmi, ad quem pertinent sequentes aspirationes. *Tristis est anima mea, Domine Deus meus, quia appetitus meus mortem formidat: Volo tamen, si tu sic jubes, mortem libenter subire; Et hanc ipsam mortem, ejusque afflictionem offero tibi ad honorem, & beneplacitum tuum, cum passione, &*

morte Domini mei Jesu Christi, & in satisfactionem pro peccatis meis.

Domine Deus, qui me de nihilo creasti, & Filii tui pretioso sanguine redemisti, atque in gremio Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ usque ad hanc diem conservasti, quid retribuam tibi pro omnibus, quæ tribuisti mihi? Calicem hunc mortis accipio de manu tua, & offero tibi pro omnibus beneficiis tuis in odorem suavitatis.

Licet amor naturalis vitæ mortem recuset, cum fiducia tamen auxilii tui, Deus meus, dicam cum Filio tuo Domino meo Jesu Christo: Pater mi, si non potest hic Calix transire, nisi bibam illum, fiat voluntas tua.

Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, gratias ago tibi, quia tandem venit hora, in qua peccata, & mala mea finem habebunt. Adjuva tu, Domine, infirmitatem meam, ut in tuo servitio, & gratia finiam hoc residuum vitæ meæ.

Sunt alii, qui mori timent, ob nimium affectum erga personas dilectas, quas relinquunt, præsertim erga conjugem, & filios: soletque tentator ad tegendum terre-

num amorem obtendere velum pietatis, ut cum filii parvuli, & egeni sunt, & filiæ nondum collocatæ. Atque id agit Dæmon, ut animus his curis inutilibus distractus, quæ ad Salutem æternam necessaria sunt vel negligat, vel perfunctorie provideat. Hujus tentationis remedia sunt removere ab aspectu decumbentis hujusmodi personas, vitare de iis colloquia eo præsente: persuadere infirmo, hujusmodi affectum inutilem sibi, & illis esse: majora eis auxilia in Cœlo impetraturum, quam hic præsens adferre posset: sperandum in Deo, ejusque providentia: oportere Christum imitari, quem Matris affectus non retraxit a morte pro nobis subeunda. Tandem orabit æger Dominum, ut liberet eum ab hujusmodi inordinato affectu, & imprimat cordi ejus amorem Cœlestis patriæ, & desiderium æternæ felicitatis.

II.

DE IMPATIENTIA.

Quosdam tentator ad impatientiam impellit, subitaneos iræ motus excitando,

quibus frangatur animus,& pati recuset infirmitatis incommoda. Cujus mali remedia ex variis considerationibus petenda sunt. Nam impatientia non sublevat, sed auget morbum;& eo majori dolore æger afficitur, quo magis invitus patitur. Tollit præterea meritum patientiæ, quod est maximum, totumque statum internum, & externum hominis evertit, & perturbat. Considerare præterea debet infirmus hæc mala sibi a Deo mitti, qui est Pater amantissimus, & Medicus sapientissimus, ad majus ipsius bonum,quare æquum estea suscipere cum gratiarum actione; quatenus hac brevi punitione expientur peccata, quæ nonnisi longo tormento post hanc vitam in flammis purganda forent: ab affectu rerum terrenarum avellatur animus: insignes virtutum actus exerceantur: & ad ingressum Cœlestis patriæ anima disponatur: *In patientia vestra*, dicit Dominus, *possidebitis animas vestras*. Et alibi pollicitus est ipse Deus se nobiscum futurum in tribulatione. Valet etiam plurimum ad patientiam,Sanctorum Job,&Tobiæ,Martyrumque innumerabilium exempla intueri,

ipsumque Caput Martyrum Christum, quem sic oportuit pati,& ita intrare in gloriam suam. Minuit quoque impatientiam astantium erga ægrotum pius affectus,quo ex animo ei compati præseferant: & ipso item opere, si fieri possit, curent, ut sublevetur. Denique orare infirmus debet hoc, vel simili modo:

Domine hic ure, hic seca, ut in æternum parcas. Paratum cor meum Deus, paratum cor meum, fiat voluntas tua.

Domine Deus, qui quos diligis castigas, fac me de numero filiorum, quos diligis in vitam æternam, quandoquidem sum ex illis, quos castigare digneris.

Domine Jesu adjutor in opportunitatibus, in tribulatione, adesto mihi in afflictione mea, vel eam sublevando, vel patientiam tribuendo, ad gloriam tuam, & salutem animæ meæ.

III.

DE INFIDELITATE

Hæc omnium gravissima tentatio est, fidem enim aggreditur fundamentum om-

nium bonorum, sine qua impossibile est placere Deo: & quia hostis acutissimus, & doctissimus est, res autem, quas credimus supra sensum, & rationem naturalem sunt, ideo in hac pugna facillimum est vinci, & subdolis suggestionibus in præcipitium trahi. Remedia hæc sunt. 1. Nullo modo cum adversario disputationem inire, aut rationibus agere, sed silentium cum eo servare, ad Deum autem converti, & dicere: *Domine vim patior, responde pro me; Domine adauge nobis fidem: Illumina oculos meos, ne unquam obdormiam in morte, ne quando dicat inimicus meus, prævalui adversus eum.* 2. Unica solutione ad omnia argumenta Diaboli respondere dicendo: *Credo quicquid credit Sancta Mater Ecclesia Catholica, & Apostolica, cujus caput unicum sub Christo est Pontifex Romanus. Illa est columna & firmamentum veritatis; illa tibi, Sathan, pro me respondebit, disputa cum illa, si vis: mihi satis est quod credo quicquid illa credit: fides non rationibus innititur, sed æternæ Veritati.* 3. Fidei Catholicæ protestationem emittere, Symbolum Apo-

stolorum, vel S. Athanasii recitare, ipsam fidem profiteri in Viatici, & extremæ Unctionis susceptione, in Crucifixi deosculatione, in cerei accensi gestatione. 4. Tot Martyrum, Doctorum, Pontificum, Conciliorum testimonia, & tot veræ Ecclesiæ notas, & signa, & tot miracula in confirmationem hujus fidei edita mente revolvere. 5. Signare se signo crucis, & eo Tentatorem abigere, ejusque suggestionem contemnere.

IV.

DE DIFFIDENTIA, ET DESPERATIONE.

Aliquando spem adoritur Dœmon, & proponens ægro ignotas alterius sæculi vias, peccata a primis annis perpetrata, debitas inferni pœnas, Divinæ Justitiæ rigorem, & alia hujusmodi, miseram animam in diffidentiam perducit, ac tandem in barathrum desperationis detrudit. Hujus autem tentationis occasionem arripit ex naturali pusillanimitate ægroti, vel ex eo quod affectus sit ad aliquod peccatum,

quod nollet relinquere, vel quia restituere aliena non vult, aut quia peccata aliqua omisit in Confessione, seu non bene explicavit. Quod si causa, ob quam æger diffidit, cognita est; curatio facilis erit, nam remota causa, ipsa quoque diffidentia tolletur. Alioquin ad alia remedia recurrendum erit, qualia sunt ista. 1. Bene perpendere Dei offensi bonitatem, cui proprium est misereri semper, & parcere, cujus miserationum non est numerus, & misericordia ejus super omnia opera ejus, qui proprio Filio suo non pepercit, ut nos redimeret a peccatis, & posuit in eo iniquitates omnium nostrum. Ipse autem futurus est Judex noster, qui est Advocatus, & pro nobis passus est. 2. Si homines Servi Dei offensas, & injurias tam facile dimiserunt offensoribus suis propter aliquam Divinæ bonitatis participationem, ut innumeris constat exemplis; quid sperandum erit de fonte illo immenso infinitæ bonitatis, & misericordiæ? cum præsertim major gloria Christo resultet, quo plura, & majora sunt peccata, quæ dimittuntur; Majoris enim est magnificen-

tiæ grandia debita, quam exigua dimittere. 3. Cum Deus fidelissimus sit in promissionibus suis, nullo modo dubitare de venia licet, sic enim pollicitus est in Scripturis suis: *In quacùmque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum ejus non recordabor*. Nec desunt exempla, in novo quidem Testamento, Petri, Latronis, Filii prodigi, Samaritanæ, Magdalenæ, & aliorum innumerabilium, quos Ecclesiastica recenset historia: in veteri autem, David, Manasse, & populi Israelitici, quem post tot peccata in terram promissionis, quæ typus erat æternæ beatitudinis, perduxit. 4. In spem erigendus est æger, ex bonis, quæ ipse egit; ex diligentia, quam adhibet ad obtinendam veniam, quam non adhibuisset sine gratia Dei præveniente; ex malitia ipsius Diaboli, qui ideo tentat, quia dubitat de præda; ex virtute, & efficacia pœnitentiæ; ex multitudine Sanctorum, & Angelorum, & piorum hominum pro ipso orantium, quia plures sunt pro nobis quam contra nos. 5. Oret Infirmus, & amplexus Crucifixum dicat cum Propheta:

Domine quid multiplicati sunt qui tribulant me? multi insurgunt adversum me, multi dicunt animæ meæ: non est salus ipsi in Deo ejus. Tu autem, Domine, susceptor meus es: apprehende arma, & scutum, & exsurge in adjutorium mihi. Conclude adversus eos, qui me persequuntur, dic animæ meæ, salus tua ego sum.

Adjungendæ in hanc Sententiam aliæ orationes, cujusmodi sunt istæ.

Pater noster, qui es in Coelis, miserere filii tui mali quidem, & ingrati, sed tamen filii, quem adoptasti per Jesum Christum Filium tuum Consubstantialem: Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.

Pater, peccavi in Coelum, & coram Te, sed major est bonitas tua, quam malitia mea. Et si ego commisi unde me damnare potes, tu non amisisti, unde salvare soles. Propter temetipsum miserere mei.

Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ. In te speravi, non confundar in æternum. Etiamsi occideris me, in te sperabo.

Domine Jesu, qui Sanguinem tuum pro

me effudisti, vitamque tuam inter tot dolores, & ignominias pro salute mea dedisti, miserere mei, quia peccavi nimis in vita mea.

V.

DE PRÆSUMPTIONE.

Contraria desperationi est nimia confidentia, & præsumptio. Ad hanc trahit Dœmon morientem, proponendo ei, & commendando bona opera, quæ fecit, ut in superbiam elatus deberi sibi cœlestem beatitudinem existimet. Sanabitur autem qui sic tentatur, 1. recolendo judicia Dei incomprehensibilia, propter quæ ipsi Sancti timuerunt valde, & exclamarunt: *Non intres in judicium cum Servo tuo, Domine, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens: Nihil mihi conscius sum, sed non in hoc justificatus sum: Si justus vix salvabitur, impius, & peccator ubi parebunt?* 2. Operum suorum imperfectionem considerando, quia *omnes justitiæ nostræ quasi pannus menstruatæ: Et cum feceritis hæc omnia, dicite quia*

servi inutiles sumus. 3. Conditionem cœlestis gloriæ expendendo: *non* enim *sunt condignæ passiones hujus temporis ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis:* Neque *ex operibus Justitiæ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit Dominus noster.* Ita vero Dei misericordiam, & merita Christi contemplari oportet, & in iis confidere, ut suorum etiam peccatorum dolor excitetur; sicut scriptum est: *Misericordiam, & Judicium cantabo tibi Domine.*

VI.

DE ODIO DEI.

Reperiuntur nonnulli ita Dœmonum præstigiis delusi, ut nec mortem timeant nec gehennam. Sperant enim se apud Inferos felicem vitam acturos cum Dœmonibus, quos ibidem regnare arbitrantur. Hos Adversarius in odium Dei, & blasphemias, & magicas artes induxit, de quibus Martinus del Rio libro 6 *Magicarum disquisitionum cap.* 1 docte pertractat. Isti ergo

docendi sunt Diabolum esse mendacem, & patrem mendacii, cui nulla prorsus fides adhibenda est. Deinde Diabolus æterno igni damnatus est cum omnibus, qui eum sequuntur: errantque illi toto Cœlo, qui sperant se apud inferos voluptates maximas, & opes habituros. Experimento denique constat omnes Diaboli promissiones fallaces esse: Nec ullus unquam inventus est, qui promissa ab illo felicitate potitus sit. Quanta igitur stultitia est a Deo optimo, & omnipotente ad miserrimum hostem, & mendacissimum deficere?

VII.

DE APPARITIONIBUS.

Solet tandem antiquus hostis morituris plerumque adesse, eosque minis aggredi, atque infestationibus, & terribili facie se illis ostendere, ut incautos terreat; & si decipere non potest, ab alacritate saltem, & studio orationis impediat. Hæc tentatio non tam nocet, quam prodest, quamvis Sathan ea utatur ut noceat; illa enim terribilis visio animabus e corpore exituris

expiabilem terrorem incutit; & si quid remanet in iis purgandum horrore illo expiatur. Si quis tamen remedium optat ad eam facilius tolerandam, legat ipse, vel jubeat sibi legi Psalmum, *Dominus illuminatio mea*: adhibeat crucis signum, Sanctorum reliquias, aquam benedictam, preces, & alia hujusmodi, quæ in hunc usum pia Mater Ecclesia providit: consideret Angelos sibi adesse ad custodiam; nihilque fieri ab illo posse, nisi quod permiserit Deus.

§. 4. Orationes pro felici morte obtinenda.

I.

Illumina Domine oculos meos, ne unquam obdormiam in morte; ne quando dicat inimicus meus: Prævalui adversus eum.

In manus tuas commendo spiritum meum, redemisti me Domine Deus veritatis, locutus sum in lingua mea; Notum fac mihi Domine finem meum.

Et numerum dierum meorum quis est, ut sciam quid desit mihi.

Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur; quoniam tu Domine adjuvisti me, & consolatus es me.

Dirupisti Domine vincula mea, tibi sacrificabo hostiam laudis, & nomen Domini invocabo.

Periit fuga a me, & non est qui requirat animam meam.

Clamavi ad te, Domine, dixi, tu es spes mea, portio mea in terra viventium. Gloria Patri &c. Domine exaudi orationem meam &c.

Oremus.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Ezechiæ Regi te lacrymabiliter deprecanti vitæ spatium protendisti, concede mihi indigno famulo tuo ante diem mortis meæ tantum vitæ spatium, ut omnia peccata mea deplorare valeam, & veniam, ac gratiam te miserante merear accipere: Per Christum &c.

Misericordissime Domine Jesu, si sic agitur cum homine morituro, & in talibus periculis, & angustiis erit vita spiritus

mei ex hoc sæculo migraturi, quo fugiam nisi ad te, Deus meus? Tu erue animam meam, ut non pereat in hora illa tremenda: præsta mihi, obsecro, secundum multitudinem miserationum tuarum, & per illum amoris æstum, & dolorem, quo ipse, qui vita es, mori pro me voluisti, ut mortis corporalis agonem semper præ oculis habeam, & hoc agam nunc vivens, quod moriens fecisse vellem, nullaque in re tantum studii ponam, quam ut mihi moriar per veram mortificationem, sicque tecum post hanc vitam felix vivam, & beatus sim in æternum. Amen.

II.

Dulcissime, & benignissime Domine Jesu Christe, ob tui Sanctissimi Corporis reverentiam, quod ex intacta Virgine Maria sumpsisti, concede mihi misero peccatori, ut Corpus tuum pretiosissimum sit finalis refectio animæ meæ. Amen. *Pater noster. Ave Maria.*

III.

Dominator cœli & terræ Jesu Christe, robur, fortitudo, & victoria Martyrum, qui per te insultant morti, & in morte victores exultant, quid est illud quod lego de te, quia tristis facta est anima tua usque ad mortem, & factus in agonia prolixius orabas: & factus est sudor tuus, sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram? Unde tibi metus mortis? Unde tam anxia supplicatio? Unde sudor tam mirus, & inauditus? Nonne oblatus es, quia ipse voluisti? Nonne prorsus voluntarie sacrificium istud Deo Patri obtulisti? Quis non timeat, o Domine, si times tu, quem omnia timent? quis non concidat exanimis, si tu procidis in faciem, cui curvatur omne genu? quis non exhorreat ad mortis aspectum, si tu, qui Victor mortis futurus es, morte appropinquante sic formidas? Sed benedictus sis in æternum, mi bone Jesu, quia ad consolationem infirmorum membrorum meorum hæc infirmitatis indicia assumere dignatus es; ne carnis infirmi-

tas desperationem nobis ingerat, ubi ad passionem, & mortem promptus est spiritus. Eia Domine recordare vehementis illius tristitiæ, illius pavoris, horroris, & terribilis angustiæ, quæ velut inundantes aquæ intraverunt usque ad animam tuam, cum jam adesset initium acerbissimæ passionis tuæ, adeoque pronus in terram caderes, & peteres a Patre transferri calicem istum abs te. Recordare durissimi illius agonis, & luctæ nimis acerbæ, qua tibi cum morte in tristissima illa nocte confligendum fuit, quæ & sanguineum e toto corpore tuo sudorem tam violenter expressit. Quorsum enim hæc omnia passus es? utique propter nos homines, & propter nostram salutem. Et cito quidem veniet hora, cum & ego in hunc certaminis campum ingrediar, ut cum morte congrediar. Heu Domine, quid tunc fiet de me? sine ope tua subsistere non potero, quin deficiam, & succumbam, nisi tu mecum sis, & pugnes pro me, tu qui laborantes, & oneratos invitas ad te, ut eos reficias. Calicem quidem tuum & ego bibere paratus sum; quomodo enim ego peccator recu-

sabo eum, cum tu Agnus innocens illum prior ebiberis? Itaque deprecari eum non audeo, sed enixe precor, ut eum mihi temperes, ejusque amaritudinem sic tuæ gratiæ, & consolationis fonte diluas, ut non abhorream, nec subterfugiam quominus bibam illum: nam omnia potero per gratiam tuam, si me confortes: sed & calix gloriæ tuæ inebrians quam præclarus est? O ubertas Domus Dei, qua inebriabuntur electi tui! O torrens voluptatis, quo potabis amicos tuos! Quid ista spes, & expectatio non leniat, condiat, aut dulcoret? Certe pondus æternæ gloriæ omnem alleviat tribulationis nostræ gravitatem. Verum, Domine, in his non mea voluntas, sed tua fiat. Lenem, & suavem mortem non peto, sed qualem tu vis, & nosti fore ad majorem gloriam tuam, & meam salutem. Totum hoc tuæ pietati, & voluntati committo. Si difficilem mihi luctam, & graviores mortis angustias Divina tua providentia disposuit, fiat voluntas tua. Paratum cor meum Deus, sed conserva, & adauge in me fidem, & spem præsentiæ, bonitatis, & misericordiæ tuæ;

nec derelinquas me, Deus Salvator meus, sicut nec Pater tuus dereliquit te. Mitte Angelum Sanctum tuum, qui in illis angustiis me suis consolationibus erigat, & confirmet, omnemque virtutem inimici propulset a me, donec peracto agone lætus triumphem, & merear a te coronam vitæ, quam promisisti diligentibus te, & perseverantibus usque in finem. Amen.

IV.

Domine Deus miserationum, qui in omni tempore, sed præcipue in majoribus necessitatibus & tribulationibus adjutor, & protector tuorum es; da mihi indignissimo peccatori de tua benignitate confidenti mentem sanam, ne seducar Dæmonis illusionibus, ne absorbear curis, aut concupiscentiis corporalibus, ne ob vim morbi rationis usu destituar, ne obsidear inimicorum meorum oppressionibus. Da pœnitentiam veram, & contritionem cordis per peccati detestationem, & amorem Justitiæ. Da confessionem sinceram cum agnitione culpæ, & spe veniæ: da plenam

sactisfactionem per merita passionis dilecti Filii tui. Da patientiam in dolore, & ægritudine, & plenam resignationem in tuam sanctam voluntatem. Præbe Viaticum salutare Corporis, & Sanguinis Domini mei Jesu Christi, & extremam Unctionem ad sublevandam morbi molestiam, & purgandam animam a peccatorum reliquiis. Da Sanctorum consolationem contra aereas potestates, & in exitu vitam æternam, ad quam suspiro, quam in lumine fidei contemplor, & a longe saluto. Redeat Domine spiritus meus ad te, qui dedisti illum, & ingrediatur domum æternitatis, ac perpetuæ felicitatis. In manus tuas sanus, & valens commendo, Domine, spiritum meum, ut commendatum habeas, quando illum commendare non potero, etsi vinculis corporis nondum solutum. Timeo tempus illud, quo inter vivos ero, nec esse me sciam. Recordare, bone Jesu, passionis, mortis, & aperti lateris tui: ad illud fugit anima mea, & in eo refugium quærit, donec transeat ira Dei. In manus tuas commendo spiritum meum, imo tuum, quia tu illum creasti,

& reparasti; Ne despicias, Deus meus, opus manuum tuarum, qui vivis & regnas per omnia sæcula sæculorum. Amen.

V.

Domine Jesu Christe, per illam amaritudinem, quam sustinuisti pro me in cruce, maxime in illa hora quando anima tua egressa est de corpore tuo, miserere animæ meæ in egressu suo.

Felicem mortem a te solo habere possum, Deus meus, qui es vera vita: Eam igitur a te peto toto cordis affectu, eam expecto a misericordia tua, non a meritis meis, non a viribus, vel industria mea.

Ne permittas me, Domine, impatientem ex hac vita migrare, & improvisa morte præoccupari, sed moriturum mature confirma, ac muni catholica fide, vera pœnitentia, & sanctis Sacramentis.

Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea horum similia. Præsta Deus meus, ut ante mortem in me moriantur noxii affectus, & omnis ad terram inclinatio. Tunc moriar cum mihi

ipsi, rebusque omnibus perfecte mortuus ero.

Felicem mortem gratulor tibi, Jesu amor meus, perque hanc mortem te precor, ut des mihi felici morte defungi, & ad Te veram vitam pervenire.

Felicem mortem gratulor tibi, Beata Virgo Maria, & tibi quoque Sancte Joseph Virginis sponse; vosque humiliter exoro, ut talem mihi mortem vestris precibus impetretis, qualem vos obiistis. Assistite mihi in illa hora tremenda, & defendite ab incursu malignorum Spirituum.

§. 5. Methodus juvandi eos, qui moriuntur.

Opus veræ charitatis, & maximi momenti est assistere hominibus ab hac vita migrantibus, & eis subvenire in gravissima ista necessitate, ubi agitur de summa rerum, de æterna salute; ubi si quis error admittitur, irreparabilis est, quia mors non nisi semel contingit. Magna igitur prudentia, solicitudo, & cura adhibenda est in hoc officio obeundo, ut eo sancte,

& fideliter fungaris: pro qua re infrascripta documenta servabis, quæ viri docti, & pii, quique diu in hoc munere versati sunt, ipsa experientia magistra, observarunt, & scriptis suis tradiderunt.

I. Quia res divinissima, & difficillima est Deo cooperari ad salutem animarum, & tentanti Diabolo, viresque omnes tunc in perniciem morituri adhibenti, se opponere, prædamque illi de manibus eripere; tuam imbecillitatem humiliter agnosces, & totam spem consequendi quod intendis, in divino auxilio collocabis. Purissimam quoque intentionem ad hanc rem afferes, & vehemens desiderium adjuvandi infirmum ad salutem, pro quo ferventer orabis, resque dicendas, & agendas, earumque modum, & ordinem præmeditaberis, habita ratione loci, temporis, personæ, ejusque status, conditionis, temperamenti, & aliarum circumstantiarum. Non properanter, nec uno contextu, aut altiori voce quam oporteat, omnia dices, sed discrete, opportune, & amanter, conciliando tibi paulatim benevolentiam, ut magis proficias.

II. Prima autem cura circa animæ statum adhibenda est, ut scilicet in gratia Dei, & charitate ex hac vita decedat, & Sacramentis quamprimum muniatur. Ingressus ad ægrotantem eum benigne salutabis, & recitato super eum Evangelio cum oratione, si expedire judicabis, de statu morbi interrogabis, sumptaque prudenter occasione ex aliqua ejus responsione, ipsum admonebis, quid medici sentiant de discrimine vitæ, in quo versatur, & quandoquidem desunt humana præsidia, hortaberis ut toto corde ad Deum amantissimum Patrem se convertat per veram pœnitentiam, & integerrimam confessionem, quæ spe longioris vitæ nullo modo differenda est. Quod si videris deesse ei perfectam contritionem, varia propones motiva, quibus ad eam excitari possit: tamen curabis, ut rem alienam, & famam injuste ablatam restituat, si opus fuerit; & si quas habet simultates cum aliquo, ut offensam dimittat; & pacem ineat cum inimicis: ut Sacramenta deinde Eucharistiæ, & Extremæ Unctionis humiliter petat; ad ea digne se præparet, & cum tempus fuerit, devote percipiat.

III. Post hæc agendum de his, quæ pertinent ad bona externa, & corporalia; Si uxorem habet, ut ei prospiciat: Si filios minores, ut eorum tutelam alicui relinquat: Si servos, & familiam, ut curet eis stipendium persolvi, & aliquid etiam ultra stipendium: Si administrationem aliquam, aut officium publicum, ut rationem reddat, & suæ conscientiæ satisfaciat. De corpore etiam suo constituat, ubi debeat sepeliri: de bonis disponat per Testamentum justum, & pium, & si suppetunt facultates, pauperum memor sit, & locorum piorum.

IV. His expeditis exercendus est circa fidem, spem, & charitatem. Si non satis explicite credit quæ necessario credenda sunt, ea clare, & breviter explicabis: alioquin docebis eum actus fidei elicere, ejusque professionem innovare. Tu excitabis in eo desiderium æternæ beatitudinis, quia non habemus hic manentem civitatem, sed futuram illam inquirimus pulcherrimam, amœnissimam, spatiosissimam, & si corpus consumitur, resurget tamen victurum in Cœlo gloriosum, & immor-

tale. Charitatem demum in eo accendes, variis propositis ejusdem motivis per modum considerationis, vel orationis, addita invocatione B. Mariæ, Angelorum, & Sanctorum.

V. Si ad eum juvandum accedis, qui jam parum mente valet, nec loqui amplius potest, saltem nutibus signa contritionis elicere ab eo satages; quod si mentis compos est, sed æger voluntate, aliorum orationibus, & eleemosynis, tuisque piis, & efficacibus exhortationibus eum ad mentem reducere conaberis, & disponere ad pœnitentiam: Sicque omnia omnibus factus te omnium dispositioni, & capacitati prudenter accommodabis, ut omnes Christo lucrifacias. Eos vero, qui morienti assistunt serio admonebis, ne coram eo de rebus vanis, & temporalibus loquantur: ne personas ad eum sinant accedere, cum quibus negotia, vel prava consortia habuit: ut removeant ab oculis ejus instrumenta artis suæ, & ea, quibus olim delectabatur: ut vanas picturas a cubiculo auferant, ponantque ante eum imaginem B. Virginis, Sanctorum Tutelarium, & Chri-

sti Crucifixi. Domestici autem monendi sunt, ut Missas dici, & orationes pro eo fieri curent, deturque de bonis ejus pauperibus, & locis piis eleemosyna. Adsit aqua benedicta; uxorque, & filii, & aliæ personæ, quæ possent humanos affectus excitare, procul amoveantur. Omnes denique qui adstant pro ipso orent, & præter alias orationes poterunt opportune hos psalmos recitare. *Qui habitat*: *Dominus illuminatio mea*: *In te Domine speravi*: *Quemadmodum desiderat cervus*: *De profundis*: *Dominus regit me*: *Ad te Domine levavi animam meam*: *Lætatus sum in his*: *Eripe me Domine ab homine malo*. His utiliter addi poterunt Litaniæ B. Virginis, & Sanctorum, & Symbolum Apostolorum.

§. 6. Testamentum, et Protestationes Præparatoriæ ad mortem.

Moriendum est, o homo: lata est olim contra te sententia mortis, priusquam nascereris. Necessitas est ista inevitabilis, sed hora incerta est. Forsitan dum hæc legis, jam sagittæ expediuntur, quæ te lethaliter

ferient. Quid igitur moraris? Nullus hic cunctationi, nullus dilationi locus est. Fac statim quod tunc fecisse velles, & præcipe Domui tuæ, quia morieris tu, & non vives. Nolo autem, ut intestatus moriaris, ideo formulam Testamenti hic describo, quo actus virtutum, & protestationes præparatoriæ ad mortem continentur. Nulla hic mentio de rebus temporalibus, quia de illis aliter disponendum est. Ad instar hujus formulæ aliam tibi conditioni tuæ accommodatam compones, præmissa Confessione, & Communione. Duo ejus exemplaria facies, quorum unum in Cubiculo, sive Oratorio tuo oculis semper expositum habebis, ut horæ novissimæ tuæ semper sis memor. Alterum tecum continuo feres, & precaberis domesticos tuos, ut ipsum tecum sepeliant. Leges ex eo quotidie aliquid, & releges totum semel saltem in mense: & quoties ipsum vides, aut tangis, brevi suspirio renovabis, & singula in eo contenta ratificabis.

I.

FORMULA TESTAMENTI.

In nomine Sanctissimæ, & Individuæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Considerans ego N. indignus peccator nihil morte certius esse, nihil hora ejusdem incertius: Vocemque Salvatoris audiens, qua nos hortatur ad vigilandum, quia nescimus diem, neque horam: memor item Scripturæ præcipientis: *memento Creatoris tui in diebus juventutis tuæ, antequam veniat tempus afflictionis, & revertatur pulvis in terram suam*; ne mihi contingat subitanea, & improvisa morte hinc tolli, & ad Tribunal districti Judicis imparatum perduci; Statui, & decrevi, dum sensus vigent corporis, & vires animæ, ea quæ sunt novissima (Divina favente gratia) providere, & meam ultimam voluntatem in hunc, qui sequitur, modum declarare.

Ante Thronum &c.

II.
ALIUD TESTAMENTUM BREVIUS.

In nomine Sanctæ, & Individuæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: Considerans ego N. miserrimus peccator, quia omni momento sto ad ostium æternitatis, & oportet me ad mortem quotidie paratum esse: prostratus ante Thronum Divinæ Majestatis, in conspectu B. Virginis, & totius Curiæ Cœlestis meam ultimam voluntatem omni possibili devotionis, & reverentiæ affectu hisce protestationibus declaro.

I. Protestor coram Deo, & omnibus Sanctis, quod sicut hactenus in vera fide Sanctæ Catholicæ, & Apostolicæ Ecclesiæ vixi, & firmissime credidi; quidquid illa credit, & docet, ita deinceps in eadem fide & vivere, & mori volo, divina favente gratia, sine qua nihil sum, nihil possum. Quod si vel Diaboli impugnatione, vel morbi violentia pressus, aliquid huic proposito contrarium cogitarem, loquerer, aut facerem, jam illud revoco,

& contestor me nullo modo talibus cogitationibus, verbis, aut operibus consentire.

II. Protestor, & declaro me in die mortis meæ optare, & velle Sacramento pœnitentiæ ab omni labe, & sorde peccati emundare animam meam, ut pura, & immaculata compareat coram Deo. Quod si vi morbi præpeditus confiteri peccata nequibo, saltem corde ea Deo confiteri intendo, elicito per Dei gratiam actu contritionis; Et ideo ex nunc veniam humillime peto de omnibus, & singulis peccatis meis, quæ contra Deum, Proximum, & meipsum cogitatione, verbo, opere, & omissione commisi: per infinitam bonitatem, & misericordiam Dei, per meritum vitæ, passionis, & mortis Domini mei Jesu Christi; per Gloriosæ Virginis Mariæ, omniumque Angelorum, & Sanctorum intercessionem. Agnosco me hactenus non vixisse, ut par erat me vivere, ad præscriptum Divinæ legis: doleo intimo cordis affectu, quod toties Deum meum offenderim, & propono deinceps omnia peccata vitare.

III. Quamvis autem graviter, & multis modis deliquerim, non tamen diffido de infinita Redemptoris mei misericordia; sed spero me participem futurum æternæ hæreditatis per meritum passionis, & mortis ipsius. Hanc passionem inimicis meis invisibilibus tamquam armaturam inexpugnabilem objicio: & eam Sanctissimæ Trinitati offero pro meritis, quæ mihi desunt, & in satisfactionem pro peccatis meis. Quod si, Deo permittente, contingat me quacumque tentatione pulsari, protestor, & declaro me nolle illi consentire, & ex nunc abrenuntio Sathanæ, & omnibus operibus, ac suggestionibus ejus; atque Deo Creatori meo fideliter usque in finem adhærere volo.

IV. Protestor me summopere desiderare in fine dierum meorum Deum meum recipere in Augustissimo Eucharistiæ Sacramento per modum Viatici, ut me illi perfecte uniam quantum potero, & ab eo veniam postulem, quod ipsum toties indigne receperim. Et si hac felicitate, aliquo casu occurrente, privatus fuero, declaro me saltem spiritualiter communica-

re velle: ipsumque Salvatorem meum deprecor, ut in illo ancipiti prælio clementer assistat, & ab insidiis inimicorum tueatur. Sacramentum quoque Extremæ Unctionis peto, & desidero, & si accidat me illo privari, dulcissimum Redemptorem meum exoro, ut ejus effectum, & gratiam mihi misericorditer largiatur.

V. Protestor, & confiteor, quod si aliquod opus feci æternæ vitæ meritorium, id facere non potui sine speciali Divinæ Gratiæ adjutorio: qua de causa in bonis operibus meis nullo modo confido; sed in meritis Domini mei Jesu Christi, ejusque Pretiosissimo Sanguine, quem pro me effudit in Cruce.

VI. Protestor me tota animi promptitudine acceptare velle a Divina Providentia, & patienter tolerare omnem morbum, & dolorem, & mortis angustias; meamque voluntatem Divinæ prorsus submitto, renuncio omni impatientiæ, agnosco me propter innumera peccata mea omni afflictione, & supplicio, ipsoque Inferno dignissimum; omnemque infirmitatem,

& languorem, atque ipsam mortem in unione passionis, & mortis Jesu Christi Salvatoris mei acceptò, & offero in satisfactionem pro pœnis peccatorum meorum, & ad majorem Dei gloriam.

VII. Ex animo ignosco omnibus, qui me offenderunt, & illis a Deo precor omnia bona, quæ mihi ipsi desidero. Ab illis autem, quos verbis, factis, malo exemplo, vel alio quocumque modo scienter, vel ignoranter offendi, ex toto corde veniam peto, & ad omnem satisfactionem me paratissimum offero; Deum enixe rogans, ut si quem læsi, vel defraudavi, id suggerat memoriæ, & resarciendi damnum sinceram voluntatem, plenamque tribuat facultatem.

VIII. Protestor me maximo animi affectu quam maximas possum Deo gratias agere pro infinitis beneficiis, quæ mihi mortalium omnium ingratissimo præstitit, præsertim pro creatione, redemptione, vocatione ad fidem, & ad Religionem, & pro inexplicabili patientia, qua me gravissimis infectum criminibus ad pœnitentiam expectavit: Precorque B. Virginem,

omnes Angelos, & omnes Sanctos, ac universas creaturas ut suis gratiarum actionibus, & benedictionibus defectum meum, & ingratitudinem suppleant; de qua doleo, & veniam peto.

IX. Protestor quod non in lectulo meo mori, sed in cruce, vel igne, aliove Martyrii genere vellem pro Dei honore, & fide, & pro veritatis defensione; & hanc gratiam humili prece a divina pietate deposco: opto etiam, & postulo ut Sanctissima nomina Jesu & Mariæ sint mea finalis locutio: opto applicari mihi omnes indulgentias possibiles, actusque ferventes elicere fidei, & spei, actumque charitatis in termino vitæ incipere continuandum in patria per totam æternitatem. Cum vero lingua amplius loqui non potero, corde & animo loqui intendo, Jesum invocando, & ad intimam cum Deo unionem suspirando.

X. Ex nunc pro hora mortis meæ suppliciter oro Beatissimam Virginem Mariam, Angelum meum Custodem, Sanctos meos Tutelares, ut suis efficacissimis intercessionibus obtineant mihi veram

fidem, certam spem, ardentem charitatem, profundam humilitatem, invictam patientiam, aliasque virtutes in vita, & morte mihi necessarias. Non rogo B. Virginem, ut amabilem præsentiam suam in extrema illa afflictione languenti exhibeat, quia tanta gratia; & honore omnino indignus sum, sed hoc tantum oro, ut mei meminisse dignetur, & Filium suum pro me precetur, ut jubeat in pace recipi spiritum meum. Adsint mihi Angeli Dei, & in Cœlum perducant animam meam, ubi gratias illis perpetuas agam pro susceptis beneficiis; amicos item & familiares meos oro per viscera misericordiæ Dei nostri, ut solitis suffragiis animam meam purgatorii flammis damnatam adjuvent; nam pro illis orabo in Cœlo, ipsorum orationibus a pœnis liberatus. Denique spiritum meum Salvatori meo commendo ipsius Pretioso Sanguine redemptum.

Hæc est mea ultima voluntas, his actibus protestationum, precum, & desiderii declarata, quos actus quoties respiro, omni possibili amoris, fidei, spei, & de-

votionis affectu renovare, confirmare, & multiplicare intendo, coram Deo, & Sanctis N. N. quos huic Testamento testes adesse precor. Actum die . . Mensis . . . Anno Domini nostri Jesu Christi . . . ipso in æternum regnante, cui est honor, & gloria per omnia Sæcula Sæculorum. Amen.

N. N. propria manu.

§. 7. Exercitium quotidianum pro bona morte

Eximius Dei servus Paulus Alemannus Ordinis Minorum hoc quotidie utebatur exercitio, ut se prępararet ad bonam mortem.

I. Feria secunda, putabat se infirmum jacere, & ideo incipiebat de se ipso sollicitus esse. Feria tertia se febri acutissima laborare existimabat cum evidenti vitæ discrimine, unde magis timebat. Feria quarta præparabat se ad exactam, & dolorosam Confessionem, ac si morti proximus esset. Feria quinta Communioni destinata erat, quæ tamquam ultima ma-

gno fervore sumebatur. Feria sexta extremam Unctionem imaginarie recipiebat cum ingenti compunctione. Sabbato se mori omnino debere credebat, ac sepeliri, & ab omnibus conculcari, & oblivioni perpetuæ tradi. Dies Dominica Resurrectionis erat, & præmii æterni, ad quod ut feliciter perveniret, sancte vivere proponebat. Qui autem hoc exercitio uti desiderat, poterit interdum sic secum ratiocinari.

II. En tandem venit hora extrema, & finis vitæ meæ. Ecce instat fatale illud momentum, a quo pendet æternitas. Migrandum est sine mora, & dilatione ab hac ad alteram vitam absque ulla redeundi spe. Valete fratres, valete sorores, amici valete. Jam mihi tempus elapsum est, jam omnia finita sunt. Mundus præteriit, ejusque deliciæ, & voluptates, & quod hactenus operatus non sum, numquam amplius operabor. Heu jam adsto tribunali justissimo, & horrendo omnipotentis Dei, qui omnia scit, omnia videt, nec ullam culpam sinit esse impunitam. Jam scelerum, & excessuum meo-

rum longum, & gravissimum processum audio publicari, nec est qui pro me loquatur, cum multi sint accusatores mei. Jam parat se tremendus Judex ad sententiam inappellabilem pronunciandam vitæ, vel mortis sempiternæ. Quid faciam miser in tam aspero & repentino casu, in tanta calamitate constitutus? contremisco valde, & non est in me robur, & virtus, quia multa mihi apparent nova, & extrema, de quibus antea non cogitaveram. Irruunt in me agmine facto peccata, quæ ante commisi, quorum aspectus magis me cruciat, quam omnes Dœmones cum omni terrore, & supplicio ipsorum. Quid igitur faciam; aut quo me vertam inter tot angustias deprehensus, nisi ad Dominum Deum meum, cujus misericordia omnes iniquitates meas in infinitum excedit? scio cui credidi, & certus sum me ineffabili charitate adoptatum in filium, nec me terrere potest multitudo, aut enormitas peccatorum meorum, dum ejus passionem, & mortem considero. Beata sua brachia in cruce expandit, ut me peccatorem su-

scipiat, & complectatur: inter illa vivere volo, & mori desidero. Video in Christo meo carnem meam, atque ibi me gloriosum fore confido, ubi illa glorificata est. Quamdiu non desierit misericors esse Deus, non sum inops meriti, multæ autem sunt misericordiæ ejus, dives igitur meritis ego sum. Hac ratione confortatus peccator actus eliciet amoris, & confidentiæ, Deumque rogabit pro tranquilla, & felici morte.

§. 8. PRAXIS PRAEPARATIONIS AD MORTEM

Omnium negotiorum maximum negotium est præparatio ad mortem, unde pendet æternitas. Quia vero anima in suis operationibus ab organis corporalibus pendet, ægritudo autem ita nonnunquam afficit, & prosternit ægrotum, ut nullo modo actus internos elicere valeat, & se ad exitum, sicut oportet, disponere: optimum consilium est, dum mens sana viget in corpore sano, per similitudinem, & imaginationem sæpius mori, ut cum vere mors advenerit, te præparatum inve-

niat. Hanc vero exercitationem ex nunc offeres Deo pro illa horâ, in supplementum illorum actuum, quos tunc infirmitate impediente exercere non poteris. Utilitates ejus multæ sunt. 1. Familiarem tibi reddes mortis meditationem, quæ est vera Philosophia, & sic vives, ut semper credas te moriturum. 2. Numquam mors te improvisa apprehendet, etsi veniat cum minus expectari posse videtur. 3. Diligens eris in procuranda salute, quia tempus breve & incertum est, & res de qua agitur, maximæ, & infinitæ consequentiæ. 4. Superbiam profligabis, quæ est initium omnium malorum, quid enim superbiat homo mox pulvis futurus, & esca vermium? 5. Cor abstrahes ab affectu rerum terrenarum, quia facile contemnit omnia qui semper se cogitat moriturum. 6. Minus amabis vitam, & minus horribilem judicabis mortem, cum finis malorum sit, & vita ad beatam æternitatem. 7. Mortem denique desiderabis, ut cito ad Deum pervenias, & dicas cum Apostolo. *Cupio dissolvi, & esse cum Christo*. Praxis hæc est.

I. Semel saltem in mense diem unum seliges, quem huic ad mortem præparationi destinabis. Eo domi consistes exactissimum servans silentium, tibique soli, & Deo vacabis. Mane quando surrexeris, adesse tibi Superiorem, vel Confessarium putabis, qui dicat tibi: *hæc dicit Dominus: dispone domui tuæ, quia morieris tu hodie, & non vives.* Hoc nuntio accepto resignabis te totaliter, & voluntatem tuam cum divina conformabis, dicens: *Tua Pater providentia cuncta gubernas: Fiat voluntas tua: Ita Pater, quia sic placitum fuit ante te.* Tum flexis genibus exercitia solita matutina perages, & Deo gratias ages, quod vitam hactenus tibi concesserit, ejusque supremum Dominium in te recognosces dicens: *Dominus est, quod bonum est in oculis suis faciat.*

II. Offeres Deo totius diei cogitationes, verba, & opera, ut felicem mortem obtineas meritis Christi, B. Virginis, & omnium Sanctorum. Ad hunc finem opera aliqua pœnalia assumes ea die peragenda: aliquam eleemosynam pauperibus distribues: quicquid ages majori, qua poteris perfectione perages: meditatio erit

de morte, ejusque effectibus, & proprietatibus, & de judicio particulari: si otium suppetat, officium defunctorum, & alias preces pro defunctis recitabis, ut tota die mens tua imbuta sit salutari mortis cogitatione.

III. Offeres vitam tuam in holocaustum propter eum, qui pro te mori dignatus est: Mortem vero suscipies in patientiam, & satisfactionem pro peccatis tuis. Considerabis justum esse, ut anima separetur a corpore, quia ambo conspiraverunt contra Deum: Relinquendi sunt amici, & consanguinei; quibus placere magis, quam Deo voluisti: divitiis, quas collegisti, alii utentur, quibus tu male usus es; Sensibus privaberis, per quos ad animam intravit mors; obmutescet lingua, quæ tot mendacia, tot verba iniqua, tot contumelias, & detractiones protulit: peribit memoria tua cum sonitu in pœnam laudum, quas perperam desiderasti: Sepelietur humo corpus tuum, & terra, quam semper amasti, cooperiet te, dicentque Angeli cum indignatione: *Satiare nunc terra infelix caro, quam Coelo prætulisti*;

Satiare terra, & in terram revertere, de qua sumptus es: Juste enim hæc pateris, miserabilis homo, quia peccasti in fratrem tuum Jesum Christum: En sanguis ejus exquiritur.

IV. Humi procumbens Sanctissimam Trinitatem adorabis: Tu petes a Patre æterno, ut per merita humanitatis Jesu Christi Filii sui, omniumque infirmitatum, quas in carne passibili assumpsit, sua omnipotentia in hac hora extrema te corroboret: Petes a Filio, ut sua Divina sapientia te illuminet, ne te decipiat hostis antiquus. Petes a Spiritu Sancto, ut suo amore tuam voluntatem inflammet, & omnem amorem creaturarum in te penitus comburat, & ad nihilum redigat; detque tibi in charitate perfecta usque ad extremum halitum perseverare. Ad Salvatorem quoque Crucifixum pro te accedes, eumque rogabis, ut det tibi in morte tua morti ipsius assimilari; quia non potes bene mori, sicut nec bene vivere nisi in ipso, per ipsum, & cum ipso. Eodem modo B. Virginem deprecaberis, ut sicut Filio suo morienti astitit, ita & tibi assistat;

Et si ejus coronam recitabis, ea verba Salutationis Angelicæ: *& in hora mortis nostræ*, magno affectu replicabis. Auxilium item implorabis S. Michaelis Archangeli, Angeli tui Custodis, omnium Angelorum, S. Josephi, Sanctorum Patronorum tuorum, & aliorum, ut sua protectione, suisque precibus protegant, & defendant.

V. Actus elicies fidei, cujus protestationem renovabis: Actus spei, & charitatis, quorum formulam reperies §. sequenti: postea animam tuam purificabis diligentissima, & dolorosa Confessione, ac si postrema foret; petendo lumen, ut cognoscas occulta peccata; & proponendo satisfacere Divinæ Justitiæ, statum tuum interiorem, & exteriorem accurata disquisitione examinabis: an insit in fundo animæ aliquod vitium secretum, an adhæsit alicui creaturæ, an ab aliqua aversio, aut aliud quidpiam, quod te possit in hora mortis inquietum reddere, & perturbare: quod si aliquid tale repereris, evelles statim contrariis actibus, & ferventi oratione. Dolorem vehementem de peccatis tuis in te excitabis, & veniam

humiliter petes: itemque studebis aliquam indulgentiam lucrari.

VI. Præparabis te ad Communionem per modum Viatici singulari devotione percipiendam: & Christum Dominum exorabis, ut virtutibus suis exornet animam tuam, dignamque faciat hoc cœlesti Convivio; Eundo ad altare B. Virginem orabis, ut ducat te ad Filium suum, & tibi assistat: idemque petes ab Angelis, & Sanctis Tutelaribus. Post Communionem gratias Deo ages solito ferventius, elicitis actibus fidei, adorationis, resignationis, obedientiæ, amoris, & aliarum virtutum. Petes a Domino quod necessarium est pro extrema lucta, eumque enixe rogabis, ut si quidem damnandus es propter innumerabilia peccata tua, te prius recipiat in gratiam, cujus amissio te magis affligere debet, quam omnia supplicia Inferni. Extremam vero Unctionem spiritualiter recipies, detestando peccata in singulis sensibus, cum vero dolore, & contritione.

VII. Putabis te jacere in lecto, & accensam candelam habere præ manibus,

jamque imminere extremum momentum: renovabis actus intensos amoris, gratiarum actionis, & desiderii videndi Deum: veniam petes ab omnibus, & omnibus ignosces: Dices: *Domine Jesu Christe, pone passionem, & mortem tuam inter judicium tuum & animam meam, nunc in hora mortis meæ. Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini suscipientes animam meam, offerentes eam in conspectu Altissimi.* Tum quia mortui lavantur, Christum precaberis ut lavet te sanguine suo. Linteus, quo corpus tuum mortuum involvetur, erit Divina Providentia per totalem resignationem, & tui derelictionem sub ejus regimine, & dispositione. Sepulchrum tuum erit Latus apertum Salvatoris tui. Demum imaginaberis animam tuam perduci ad horrendum judicium Dei, & precibus Sanctorum prorogatam tibi esse vitam ad agendam pœnitentiam: idcirco sanctius vivere firmissime propones, teque deinceps respicies, & tractabis tanquam mortuum mundo, solique Deo, & pœnitentiæ viventem.

§. 9. Orationes a Moribundo, vel ab aliis pro eo recitandæ.

I. *Oratio Præparatoria ad Mortem.*

Pater Clementissime, Domine meus, & Deus meus, ecce positus sum hic, & nunc velut in articulo mortis, quoniam media vita in morte sumus. Compareo coram curia misericordiæ tuæ, cui me submitto jugiter: & adeo cum fiducia Thronum gratiæ; ut misericordiam consequar, & gratiam inveniam in auxilio opportuno, dum tempus est miserendi, & hora comparendi. Da continue mentem sanam: da patientiam veram: da, saltem in affectu, Communionem sacram: da sanctam Unctionem: da remissionem plenam: da Sanctorum, contra potestates contrarias, consolationem: da in exitu vitam æternam. Et quoniam nudus egressus sum de utero matris meæ, & nudus revertar illuc; temporalia temporalibus relinquo. Revertatur pulvis in terram suam, unde erat (precor ad Eccle-

siasticam Sepulturam) & spiritus redeat ad Dominum, qui dedit illum; Domine Jesu Christe suscipe spiritum meum.

II. *Oratio Morte imminente.*

Ad te, Clementissime Deus, ego ultima creatura tua, redempta sanguine Unigeniti Filii tui, ad te venio Creatorem meum, ob quem creatus sum, ob quem vixi, & vivo, propter quem, & in quo mori desidero: venio ad te, ad quem millies suspiravi: ad te venio spes mea, quies mea, amor meus, & desiderium oculorum meorum. Hei mihi quia incolatus meus prolongatus fuit, multum incola fuit anima mea! Atque utinam cum Apostolo tuo dicere possem: *Bonum certamen certavi, cursum consummavi; de reliquo reposita est mihi corona justitiæ, quam tu reddes mihi juste Judex*; o Pater Misericordiarum, quamvis sim minimus servorum tuorum, & indignus vocari filius; venio tamen magna cum fiducia, meque projicio in amplexus, & brachia suavissimæ providentiæ, & misericordiæ tuæ, & quantum

possum doleo, quod te aliquando dereliquerim fontem aquæ vivæ, a te recesserim vita mea, tui oblitus fuerim, qui omni momento, quasi omnium oblitus esses, nunquam oblitus es mei. O utinam te nunquam offendissem, Deus cordis mei, Deus meus & omnia! Suscipe hoc ardentissimum votum æstuantis cordis mei, & desiderium languentis animæ meæ, dum tempus est miserendi: respice in me, & miserere mei. Scis enim, Domine, quia (uti spero) amo te plusquam me, & super omnia, quæ sunt & esse possunt. Scio cui credidi, scio quia potens es depositum cordis mei servare, scio quia cor contritum, & humiliatum non despicies, neque projicies me a facie tua: tu enim diligentem te diligis, & ad eum venies, & accipies ad te ipsum. O felix hora, quando liberabor de corpore mortis hujus! quando venies, & consolaberis me!

Veni obsecro, Domine Jesu, educ de carcere animam meam, & traduc eam a mari hoc procelloso in portum salutis; a sæculo hoc nequam in regnum tuum

Cœleste ; a morte hac, in qua continue morior, in paradisum tuum, ad quem primitus condidisti me. Transfer me ab exilio in patriam, a terra in cœlum, a tempore in æternitatem, ut cantet tibi gloria mea ; Conscidisti saccum meum, & circumdedisti me lætitia. Veni salus, & redemptio mea, veni amor meus, gaudium meum, spiritus oris mei, lumen oculorum meorum. Trahe me post te, ut in Coelesti Hierusalem civis Sanctorum, domesticus Dei, filius & hæres tuus conscribar. Ad hoc enim me ab æterno prædestinasti : ad hoc in tempore a te constituto creasti, redemisti, vocasti, & justificasti. Veni ergo, bone Jesu, ostende mihi faciem tuam, quia tu es portio mea in terra viventium. Veni desiderium collium æternorum, veni exultatio, & jubilus cordis mei. O vera charitas, chara sanctitas, sancta felicitas, felix æternitas mea. Amen.

III. *Gratiarum actio ante Mortem.*

Deus meus, bonitas infinita, ego vilis terræ vermiculus, & indignus pec-

cator cupio , priusquam abeam , & amplius non ero , Divinæ Majestati tuæ in hac valle lacrymarum sacrificium laudis , & gratiarum actionis toto corde offerre pro innumerabilibus beneficiis tuis , ut de perceptis gratias agens ad alia in proximo percipienda me disponam. Gratias igitur ago tibi infinities , quo ab æterno dignatus fueris de me amanter cogitare , & in tempore me creare ad imaginem, & similitudinem beatæ Trinitatis. Gratias ago pro inenarrabili tua dilectione , qua Unigenitum tuum e sinu Divinitatis tuæ in hunc mundum descendere voluisti, ut nos redimeret a peccatis nostris Sanguine suo: & depulsis ignorantiæ tenebris mentes nostras agnitione SSmi Nominis Tui illustraret , viamque virtutis , & perfectionis errantibus demonstraret , & de caligine peccati in admirabile lumen tuum credentes revocaret. Gratias ago pro Mysterio vivifici Corporis , & Sanguinis illius, quo in Ecclesia tua pascimur , potamur , & tuæ Divinitatis participes efficimur : & pro reliquis Sacramentis, quibus abluimur , & santificamur. Gratias ago , quod

me indignum per lavacrum sacri Baptismatis ab originali culpa emundaveris, ac recta fide donaveris, quam etiam augere nunquam cessasti per illuminationem gratiæ tuæ, & cohortationes Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ tuæ institutionem. Gratias ago, quod ab ipso vitæ meæ exordio me semper nutristi, conservasti, fovisti, suppeditans omnia, quæ huic corpusculo sunt necessaria. Gratias ago, quod me a teneris annis per universa fere scelera divagantem patientissime tolerasti, expectans donec gratia tua præventus resipiscerem; Nisi enim misericordia tua adjuvisset me, jam habitaret in Inferno anima mea. Gratias ago, quod me multoties a peccandi occasionibus segregasti, Tibique serviendi opportunitatem concessisti: ab innumeris quoque periculis, insidiis, tentationibus, tribulationibus, & angustiis liberasti, dirigens, & protegens animam meam, & corpus meum: vitæque meæ ordinem inter prospera, & adversa admirabili providentia dispensans. Gratias denique ago tibi, quod me potenti vocatione tua e sæculo abstra-

ctum (*) *in hoc felicissimo Religionis paradiso collocasti , & ad altissimum Sacerdotii gradum evexisti* ; totque naturæ, & gratiæ adjumenta ad tibi perfecte serviendum tribuisti. Et quis sum ego , ut præstares mihi tot & talia beneficia tua , præter multa , quæ prætereo , & occulta , quæ ignoro ? aut quid retribuam tibi, Domine Deus meus , pro omnibus , quæ tribuisti mihi ? etenim puer ego sum , & nescio loqui, nec verba invenio , quibus possim , ut par est , Majestatem tuam laudare , & glorificare ; Laudent te igitur pro me omnes Angelici Spiritus , omnes Sancti , & Electi tui , Beatissima Virgo Maria , & Redemptor meus Jesus Christus Filius tuus , cum quo , & Spiritu Sancto vivis , & regnas Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

IV. *Planctus, & Confessio Peccatoris cum morti proximus est.*

Succurre mihi Domine , Deus meus , antequam moriar ; antequam mors me

(*) *Hæc ab iis, qui neque Religiosi, neque Sacerdotes sunt, omitti poterunt , et eorum loco alia poni ipsorum conditioni accommodata.*

præveniat, antequam tartara me rapiant, antequam tenebræ me involvant. Subveni mihi, priusquam sine termino crucier. Reus enim timore judicii tui terreor, pavore peccati iram tuam formido. Nam si justus vix salvabitur, ego impius ubi ero? væ diei, qua peccavi. Utinam non illuxisset mihi dies illa: utinam æterna cœcitas obruisset eam. Melius mihi fuerat non nasci, quam peccare, & æternos perpeti cruciatus. Optabam a peccati nexu resolvi, sed difficile est peccandi consuetudinem vincere. Bonus eram, & liber; spontanee in crimina lapsus sum, & debitor mortis evasi; ego prius occasionem peccandi amplexus sum: & nunc peccandi usu adstrictus teneor. Ad justitiam me amor erigit, sed ad peccatum consuetudo constringit. Flete me Cœlum, & terra, lugete me omnes creaturæ, quia cecidi miserabiliter, & a Deo Creatore meo ignominiose defeci. Bene vivere sæpe promisi; quod pollicitus sum nunquam servavi. Nunquam a malis factis meis veraciter recessi, imo prioribus sceleribus deteriora semper adjunxi, plu-

rimos etiam pravis moribus meis perverti, & in perditionem adduxi. Nulla invenitur iniquitas, cujus sordibus non sim coinquinatus. Obsecro pro me plebs omnis Sanctorum, si forte misereatur mihi Deus, & deleat peccata mea. Implorate pro me Dei omnipotentis misericordiam, omnes chori Beatorum, ne effundat super me iram indignationis suæ propter multitudinem iniquitatum mearum. Parce Domine dolori meo, parce peccatis meis. Quis miserebitur mihi, aut quis consolabitur me, nisi Redemptor animarum? Placare Domine Deus meus, & non obliviscaris me in finem, nec in potestate Dœmonum me derelinquas. Licet enim offensa sit gravis, tu tamen clemens, tu patiens, tu multum misericors nullum spernis, nullum relinquis, sed ultro offers misericordiam, & peccantes expectas ut redeant. Ostende igitur in me clementiam tuam, pateat indulgentia, nec abneges uni quod plurimis peccatoribus largitus es. Scelera mea non defendo, sed displicet mihi quod male feci, displicet quod peccavi. Offensam fateor,

culpam agnosco : Suscipe quæso vocem confitentis, audi vocem ad te clamantis. Peccavi Domine, miserere mei. Si iniquitates observaveris Domine, Domine quis sustinebit? ad examen tuum nec justitia justi secura est. Astra non sunt munda coram te, qui serviunt tibi non fuerunt stabiles, & in Angelis tuis reperta est pravitas. Quanto magis ego abominabilis, & putredo, qui hausi quasi gurgites peccata, & bibi quasi aquam iniquitatem? Memorare, Domine, quæ sit mea substantia, & operi manuum tuarum porrige dexteram. Consule infirmæ materiæ, succurre humanæ fragilitati. Coram te est ægritudo mea; tu scis fluctus, quos patior; ubi lapsus sum, ubi demersus tu nosti. Sana animam meam, reforma corruptam peccatis, extingue in me flammam concupiscentiæ, erue me ab Inferno, & de angustiis, quæ circumdederunt me. Ecce dies metuendus jam imminet, instant limites vitæ, nihil superest mihi præter sepulchrum. Solve vincula peccatorum meorum, antequam moriar, Deus meus, Trinitas Sancta, cui est honor, & gloria per omnia sæcula sæculorum. Amen.

V. *Actus resignationis.*

Domine Jesu Christe, obsecro te per amorem, quo omnium hominum onera portasti, ut facias me onus tristitiæ meæ cum gratitudine suscipere de manu providentiæ tuæ, & pro tui amore, quandiu tibi placuerit, cum plenissima mei ipsius resignatione longanimiter sustinere; ita dumtaxat ut gratia tua me confirmes, ne unquam te vel in modico offendam, aut a sanctissima voluntate tua vel modicum recedam. Atque utinam possem omnium & singulorum, qui pro te passi sunt, pressuras solus sufferre, ut qualemcumque vicem redderem infinitæ charitati tuæ. Eja, benignissime Jesu, ita quæso unias voluntatem meam cum sanctissimo beneplacito tuo, ut aliud optare nequeam, quam quod tu vis. O amor ineffabilis, si mihi dares optionem, & promitteres quæcumque peterem, daturum te mihi, non aliud certe peterem, quam hoc ipsum quod patior. Neque vitam, neque mortem desidero, sed solum beneplacitum tuum. In manibus tuis sortes meæ: Fiat voluntas

tua. Abnego prorsus voluntatem meam, & tuam solam fieri volo in tempore, & in æternitate. Omnes meas cogitationes, verba, & opera, & omne meum esse, ac posse in tuum beneplacitum irrevocabiliter resigno, & transcribo. Nolo deinceps habere oculos, nisi ad te videndum; neque aures, nisi ad te audiendum; neque linguam, nisi ad loquendum de te: neque cor, nisi ad te amandum: neque memoriam, nisi ad recordationem tuæ dulcedinis: neque intellectum, nisi ad agnitionem tuæ Majestatis: neque manus, nisi ad tuum famulatum; neque pedes, nisi ad tuum obsequium: neque corpus, nisi tibi ad victimam: neque vitam, nisi tibi in sacrificium. Nolo quicquam velle, aut non velle, nisi quantum, quando, & quomodo tu vis: ita ut beneplacitum tuum sit mea unica consolatio, unicum desiderium in vita & morte, & hic, & in æternum. Confirma tu gratia tua, sine qua nihil possum, hanc voluntatem, ad honorem, & gloriam tuam. Amen.

VI. *Actus Fidei.*

Scio Domine, firmissima, & prima Veritas, quia sine fide est impossibile placere tibi: ideo excellentissimo quo possum modo, corde credo, & ore confiteor omnia, quæ revelasti, & credenda proposuisti, mediante Catholica Ecclesia, quæ est columna, & firmamentum veritatis. Affirmans omnia, quæ illa docet, certissima esse, nihilque omnino de ipsis posse in dubium revocari.

Utinam totus mundus in te crederet, Deus meus, te agnosceret, & adoraret! Confiteantur tibi populi, Deus, confiteantur tibi populi omnes. Accende lumen in intellectibus infidelium te ignorantium, ut omnes ad te convertantur.

Offero tibi, Domine, vitam, & sanguinem meum pro fidei confessione, & veritate tuenda. O si dares mihi hanc gratiam, quam libenter gladios, & ignem, & omnia genera tormentorum experirer pro Sanctæ Fidei assertione, & testificatione!

Confirma, Domine, & adauge fidem meam: hac enim duce sequar alacriter,

quacumque hora ad tribunal tuum me de corpore evocaveris; Nam post egressum ab hoc sœculo credo & ego videre bona tua in terra viventium.

Hac fide nixus in omni cruce, & pressura, atque in ipsa morte perstabo securus, tuumque nomen sanctificabo, nihil dubitans de tua potentia, vel de paterna benevolentia, qua & possis, & velis me salvare.

Gratias tibi ago, Domine Deus, quod me Christianum feceris, & fidem dederis, qua te agnoscerem. In hac fide natus, & baptizatus sum, in hac vixi, in hac mori volo sperans me mox visurum quod nunc credo. Adjuvet, & confortet me gratia tua contra omnem tentationem.

Approbo, Deus meus, omnes actus fidei ab initio mundi productos, illos præsertim quos elicuerunt B. Virgo Maria, & omnes Sancti Martyres, eosque tibi offero in supplementum imperfectionis meæ. Detestor omnes errores fidei contrarios quotquot fuerunt, aut futuri sunt: & si possem, impedirem, & in actus veræ fidei converterem. Credo, Domine, adauge mihi fidem.

VII. *Actus Spei.*

In te Domine speravi, non confundar in æternum. Adjutor, & susceptor meus es tu; quia in verbum tuum supersperavi. In te eripiar a tentatione, & in Deo meo transgrediar murum.

Dominus illuminatio mea, & salus mea, quem timebo? Dominus protector vitæ meæ, a quo trepidabo? si consistant adversum me castra, non timebit cor meum; si exurgat adversum me prœlium, in hoc ego sperabo.

Deus meus bonitas infinita, per auxilium tuum, & per bona opera facta per gratiam tuam, a te consequi spero vitam æternam, quam servis tuis promisisti; ideo enim Filium tuum pro me in mortem tradidisti.

Gratulor mihi, & exulto, suavissime Jesu, quia per te solum beatus fieri possum: neque aliud nomen sub Cœlo datum est mihi, per quod salvus fiam. Unde nec placeret mihi beatitudo, nisi per te illam haberem, in quo omnis spes mea, & fiducia posita est.

Toto corde firmissime spero, omnipotens Pater, me posse a te omnia obtinere, quæ mihi necessaria sunt ad salutem: Et quia Unigenitus tuus Redemptor meus omnia bona mihi promeruit, tanto nunc gaudio, & consolatione afficior, & tantam in ejus meritis fiduciam habeo, ac si bonum quod desidero jam tenerem, & possiderem.

In pace in idipsum dormiam, & requiescam: quoniam tu, Domine, singulariter in spe constituisti me. Propterea lætabitur cor meum, insuper & caro mea requiescet in spe.

Abyssus nihili mei, benignissime Jesu, abyssum invocat bonitatis tuæ, in voce quinque cataractarum tuarum, quæ sunt vulnera tua: in his tota spes, & fiducia mea: in his sperans non infirmabor, sed etiamsi occideris me, in te sperabo.

Plura, & gravia sunt peccata mea, Domine, sed etsi millia plura, & graviora forent, nihil sunt, si cum misericordia tua, & pretio Sanguinis tui conferantur: ideo spero veniam de illis obtinere, & vitam consequi sempiternam: Etsi in limine

Inferni jam essem, in te sperabo, & tu clementissime Salvator, inde me liberabis.

Corrobora me, Domine, contra omnes Sathanæ insultus: in me enim nihil confido, quia nihil sum; in te autem tota mea fiducia est, quia tu salus mea es, refugium meum, & firmamentum meum. Dum spiro, amor, in te spero: spirare ac sperare idem sit.

VIII. *Actus Charitatis.*

Fateor, Domine, te infinite amabilem esse, & infinito amore dignissimum. O tanto te possem prosequi, quantum mereris! gaudeo tam magno te amare teipsum. Ipsum amorem tuum offero tibi, in quo sibi maxime complacet anima mea.

O si omnium Angelorum, & Sanctorum corda, & alia innumera haberem, quæ purissimo amore flagrarent! quam libenter his omnibus bonitatem tuam diligerem, Deus cordis mei, & pars mea Deus in æternum. Cupio, amor meus, in amoris regnum transferri, ut semper amem te, & amoris defectus ibi suppleam. Reple, Deus meus, animam meam amo-

re tuo, ut amore totus ardeam, & amore æstuans, amore moriar.

Amo te Deus meus, quia Deus es. Amo te æternitas mea, quia æternus es. Amo te infinitas mea, quia infinitus es. Amo te immensitas mea, quia immensus es. Gratulor tibi divinitatem tuam, æternitatem, infinitatem, immensitatem, omnesque tuas perfectiones, quæ ita sunt in te, ut sint idem quod tu.

Quando me totum in te rapies, amor meus: quando me in te absorbebis? Te desidero, ad te suspiro, me totum tibi offero; tolle a me quicquid impedit amorem tuum.

O utinam omnia, quæ cogitavi, quæ locutus, & operatus sum, ex puro tui amore fecissem! utinam possem in omnium cordibus amorem, qui non est tuus, abolere, & tuum inserere, ut omnes amore tuo arderent!

Abduci cupio, Deus meus, ab omnium Creaturarum amore, in te unum ferri intendo, te unum diligere toto corde, tota mente, totis viribus, in te vivere, & pro te mori. Fac me voti compotem, tu qui

solus potes, Deus meus, centrum, & requies cordis mei.

O si possem annos præteritos vitæ meæ revocare, & peractæ ætatis spatia amoris tui actibus replere! quam pœnitet me, quod alia extra te dilexi. Utinam vires, quæ decrescunt corpori, addantur amori: simque fortior in amando te, quo viribus debilior sum.

O utinam ultimus halitus, quo animam efflabo, halitus amoris sit! Ultimus vitæ actus sit amare. Moriar pro te, amando te, Deus meus: Et quia vitam ab amore non inchoavi, da mihi vitam amando finire.

Separa mentem meam Domine, ab omnibus quæ sub Cælo sunt, ut tibi soli libere intendat. Valida vis amoris tui omnium rerum terrenarum pondus a me excutiat. Langueat anima mea tui desiderio, & tota amore liquescens in te totaliter transeat.

IX. *Ante Communionem per modum Viatici.*

O Rex Regum, & Domine Dominantium, sitivit anima mea ad te fontem

vivum, ad te o finis, & principium meum, teque amantissime suscipere desidero in hac ultima die vitæ meæ, ut me intime tecum uniam, & totus transformer in te. Adoro te supplex, ad quem suspirat anima mea: ad te clamo, quem præ omnibus amo, o spes mea, amor meus, desiderium meum, & omne bonum cordis mei. Ecce Deus Salvator meus: iste Deus meus, & glorificabo eum, ut vitam habeam, & abundantius habeam; ipse enim dixit: *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, & biberitis ejus Sanguinem, non habebitis vitam in vobis.* Hoc Sacratissimo Viatico decessum meum muniri, & contra omnem aeream potestatem certissima protectione defendi peropto: credo, & pro certo novi hunc esse verum Deum, & hominem Jesum Christum, æterni Patris, & Virginis Filium. Hoc vero, quod corde credo, etiam labiis sincere confiteor. Tu es Domine, in quem credidi, quem amavi, & tu mihi testis es, quia nihil quæro præter te; nihil volo nisi quod tu vis. Sumo te pretium redemptionis, viaticum peregrinationis meæ, tu qui dixi-

sti per os Prophetæ: *In Charitate perpetua dilexi te, ideo attraxi te miserans tui*; per eandem charitatem tuam esto mihi propitius, & salva animam meam in hac hora exitus mei. Scribe in corde meo tua pretiosissisima vulnera Sanguine tuo, ut uniar tibi amore invincibili, & inseparabili. In manus tuas commendo spiritum meum: fac mecum secundum misericordiam tuam, quia non sum dignus nec unquam fui, qui pascerer corpore tuo. Fiat Domine voluntas tua. Amen.

X. *Sumpto Viatico.*

Gloria tibi Christe, qui in dulcedine tua pauperem animam meam visitare, & refocillare dignatus es. Nunc dimittis servum tuum, Domine, secundum verbum tuum in pace. Jam te teneo, dulcis amor, jam ultra non dimitto te: jam mundo, & omnibus, quæ mundi sunt, lubens renuntio: jam gaudens ad te venio, Deus meus. Nihil amodo, nihil, o bone Jesu, me separabit a te; tibi enim conjunctus sum: in te vivam, in te moriar, & in te, si volueris, in æternum per-

manebo. Vivo ego, jam non ego, vivit vero in me Christus. Tædet nunc animam meam vitæ meæ: cupio dissolvi, & esse cum Christo: mihi enim vivere Christus est, & mori lucrum. Jam non timebo mala ambulans in regione mortis, quoniam tu mecum es Domine: & sicut desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad te Deus: Sitivit anima mea ad Deum fontem vivum; quando veniam, & apparebo ante faciem Dei mei? Benedic mihi, Jesu amantissime, & nunc in pace dimitte me, quoniam tuus sum ego, & in æternum nunquam dimittam te. O si felici tibi copula nunc socier in æternum! o si totus in te immergi, totus absorberi, & sepeliri in te merear! o si anima mea inter amplexus tuos suaviter requiescens absorbeatur tota in te, & felicissime fruatur te Deo amatore suo! quid mihi jam ultra cum mundo, mi amantissime Jesu? ecce nec in Cœlis quicquam volui præter te. In manus tuas commendo spiritum meum. Suscipe me, ut in æternum maneam in te, & tecum in pace dormiam, & requiescam. Amen.

XI. *Ante extremam Unctionem.*

Moriendum est, Domine Deus meus, cui omnia vivunt; atque utinam amore moriar. Sola enim amoris dulcedo mortis amaritudinem condire potest. In succensa fornace amoris victima mori vellem, si mortem liceret mihi fingere arbitrio meo; quia ut animo, sic & corpore ardere desidero. Et tunc quidem corpus in cineres abiret, & pulverem, e qua sumpsit originem: anima vero cognato sibi elemento facta vivacior in Cœlum conscenderet, ubi patria, & sedes amoris est. Invideo tibi mortem tuam, si quis es Phœnix; sic enim mori opto ignibus consumptus amoris, gratissimum Deo holocaustum. Hac vero felicitate ut potiar, oleo gratiæ tuæ inunge me, Domine Jesu, quo purgatus ab omni vitioso humore, flammam facilius a te immissam concipiam, & in rogo tuæ dilectionis comburar. Oro te igitur, benignissime Jesu, exaudi gemitus meos, & quod visibili Ecclesiæ tuæ ministerio in Sacrosancta Unctione peragitur, tu intus in anima mea invisibi-

liter operare. Per rectitudinem, & puritatem oculorum tuorum, & per lacrymas, quæ pro me ex illis emanarunt, absterge omnes maculas oculorum meorum, quas per visus incontinentiam contraxi. Per beatissimas aures tuas, quas mandatis æterni Patris semper apertas nostris etiam inclinas precibus; sordidarum aurium mearum, quas summa pervicacia dolosis inimicorum vocibus aperui, tuis sanctis inspirationibus clausi, omnem ablue iniquitatem. Per sanctum odoratum tuum, & per virtutum tuarum admirabilem fragrantiam, lava mei odoratus impuritatem, & dele peccata mea, quæ fœtere fecerunt odorem meum in conspectu Cœli, & terræ. Per jejunium tuum, per multiplicem virtutem verborum tuorum, per fel, & acetum, quo in siti tua potatus fuisti; omnem oris mei spurcitiam, & innumeros excessus in sermone, & gulositate emunda, & dimitte. Per infinitam operum tuorum perfectionem, & patentia vulnera manuum tuarum aufer omnem manuum mearum fœditatem; & gravissima scelera, quæ toties, & tam

impudenter coram te operatus sum, tu pius clementer ignosce. Per asperam incontaminatorum pedum tuorum fatigationem, & terebrationem, omnem tolle transgressionem pollutorum pedum meorum, quibus abusus sum fugiens a te, & ambulans vias non bonas, quarum finis interitus, & perditio. Per crudelem plagam transfixi Cordis tui, & per illibatam totius vitæ tuæ innocentiam, omnia vitæ meæ horrenda flagitia, omnem carnis immunditiam, omnes vitiosas affectiones, verborumque, operum, & cogitationum pravitatem ablue, solve, & condona: ut finita hac misera captivitate totus immaculatus inveniar in te, & ad suavissimos amplexus tuos admitti merear in æterna felicitate. Amo te, Creator meus, & te amando morior, imo vivo moriendo, quia amare vivere est.

XII. *Post Extremam Unctionem.*

Magnificans magnificabo te Domine, quoniam respexisti humilitatem meam, & unxisti me unctione misericordiæ tuæ, ac de manibus inimicorum meorum eri-

puisti animam meam, & nunc, Domine, tegat me manus tua, quoniam conturbata est anima mea, dum egreditur ex hoc corpore: esto mihi propitius, ne mala inimici potestas ei occurrat; & da gloriam nomini tuo, ne videat anima mea malorum Dœmonum aspectum tenebricosum. Succurre mihi, piissime Domine, in hac hora, nec me sinas in perpetuum perire, quem redemisti pretioso sanguine Filii tui. Nam quæ utilitas mihi in sanguine Redemptoris, si descendero in corruptionem? Memor esto verbi tui servo tuo, in quo mihi spem dedisti: Tu enim dixisti per os Prophetæ tui benedicti, quod in quacumque hora reversus fuerit peccator a viis suis malis, omnes ipsius iniquitates traderes oblivioni. In hoc spero, & confido; non erubescam, quia multæ sunt miserationes tuæ. Sanguis tuus, quem pro me effudisti, suavissime Jesu, magnam mihi fiduciam præbet veniendi ad te: quia licet Judex meus sis, & multæ sint aversiones meæ, quibus iram merui, tu nihilominus etiam meus Salvator es, & Advocatus. Recipe me inter amorosa bra-

chia tua, quæ pro me in cruce extensa cerno, & complector. Sonet in auribus mentis meæ, clementissime Redemptor, vox illa jucunda, vox illa dulcissima, vox illa beatificans: *Hodie mecum eris in Paradiso*. Delicta juventutis meæ, & ignorantias meas ne memineris. Ne derelinquas me, Domine Deus meus, ne discesseris a me. Intende in adjutorium meum, Domine Deus salutis meæ, & suscipe in pace spiritum meum. Amen.

XIII. *Ad Crucis oblatæ conspectum.*

Salve Crux, quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris ejus tamquam margaritis ornata: securus, & gaudens venio ad te, ita ut tu exultans suscipias me. O bona Crux, quæ decorem, & pulchritudinem de membris Domini suscepisti, accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo, ut per te me recipiat qui per te me redemit; salve Crux pretiosa, quæ digna fuisti mundi pretium portare: ille qui sedit in te, & a te regnavit, ut me redimeret, ille per te me protegat in hac hora, & defendat ab hoste maligno. Gratias

ago tibi, Domine Jesu, qui horrendum Crucis supplicium pro me pati voluisti. Adesto mihi morienti, succurre agonizanti, occurre desideranti. Consolare trementem, refove deficientem, suscipe expirantem. Fac me hinc discedere in luce miserationum tuarum, & ad gaudia paradisi feliciter introire. O Crux ave spes unica, impiorum perditio, redemptorum gloria, quies fidelium, portus peregrinantium, refugium peccatorum, fidei orthodoxæ firmamentum. Ad te venio, te complector, & exosculor: quia tu sola fuisti digna Regem Cœlorum & Dominum sustinere. Sit mihi, Domine, ad te revertenti hoc signum Sanctæ Crucis scutum inexpugnabile adversus principes tenebrarum, qui quærunt animam meam. Fac mecum signum in bonum, ut videant qui oderunt me, & confundantur, quoniam tu, Domine, adjuvisti me, & consolatus es me. Amen.

XIV. *Ad Beatam Virginem.*

Inter mortis angustias constitutus ad quem confugiam, nisi ad te, Beatissima

Virgo Maria, quæ sola post Deum Consolatrix afflictorum es, refugium peccatorum, salus pereuntium? Tibi igitur Regina mundi, mater misericordiæ, tibi fons pietatis, in hac hora tremenda commendo animam meam. Adjuva trepidantem, cadentem subleva, errantem dirige, consolare desolatam. Impetra mihi a dilecto Filio tuo misericordiam, quam semper optavi. Per purissimam Conceptionem tuam meorum mihi veniam peccatorum obtine. Per sanctam Nativitatem tuam impetra mihi, antequam moriar, veram & solidam Sanctitatem. Per vitam, & mortem tuam fac ut mihi moriar, & Deo vivam. Per acerbissimos dolores, quos in passione, & morte Filii tui sustinuisti, succurre mihi in hac ultima necessitate. Tu me semper, mitissima Mater, in omnibus periculis clementer adjuvisti, ne me deseras in hoc momento, a quo pendet æternitas. Monstra te esse Matrem, & loquere pro me bona ad Filium tuum, ut recreet me jacentem in hora mortis. Fac o benedicta per gratiam, quam meruisti, per misericordiam, quam

peperisti, ut qui te mediante fieri dignatus est particeps infirmitatis, & miseriæ nostræ, te quoque intercedente, participem me faciat gloriæ, & beatitudinis suæ Jesus Christus, Filius tuus, Dominus noster. Amen.

XV. *Ad Sanctos Angelos.*

O Vos omnes purissimi Spiritus, Sancti Angeli Dei respicite in me hic jacentem, & gementem, quia manus Domini tetigit me. Mors mihi instat, jamquè nemo mortalium, sed vos soli in tanta calamitate succurrere mihi potestis. Ah ne me derelinquatis ad vestrum patrocinium humiliter confugientem. Sancte Michael, qui venisti in adjutorium populo Dei, princeps militiæ Cœlestis, qui divina virtute Diabolum contrivisti, subveni mihi apud Altissimum Judicem, & eripe me ab immundorum Spirituum insidiis, & perduc animam meam in locum refrigerii, & quietis. Septem Spiritus gloriosi, qui astatis ante Dominum, docete, dirigite, & protegite me hic languentem. Agmina felicissima, in nover

choros multitudine innumerabili distincta, defendite me contra tartareos hostes parantes insidias saluti meæ, plures enim estis pro me, quam illi contra me. Et tu Angele Sancte, cujus tutelæ, & custodiæ ego indignissimus peccator commissus sum, assiste nunc mihi, & omnem Sathanæ potentiam a me procul repelle. Apprehende arma, & scutum, & exurge in adjutorium mihi. Salva me ex ore leonis: & ab insurgentibus in me libera me. Tu es refugium meum a tribulatione, quæ circumdedit me, exultatio mea, erue me a circumdantibus me, & aperi mihi januam Paradisi. Amen.

XVI. *Ad omnes Sanctos.*

Omnes Sancti, & Sanctæ Dei, vos præsertim Tutelares, & patroni mei N. N. qui trajecto mundi hujus pelago ad Cœlestis patriæ portum gloriose pervenistis, jam securi de vestra felicitate, de mea salute solliciti nunc estote; & postremam luctam precibus vestris adjuvate. Momentum illud imminet mihi, in quo salus mea æterna, aut perenne stat exitium.

Sententiam nunc supremam expecto, procumbite pro me supplices ante Judicem, & impetrate, ut ea mitis sit, & ad vitam. Jam mihi sese offerunt ante oculos res novæ, & extremæ, de quibus antea non cogitaveram. Ah! Si quid unquam feci, quod vobis gratum fuerit, ne me deserite in his angustiis, & eripite me de manibus quærentium animam meam. Sancte Joseph, decus Patriarcharum, magni consilii adjutor, qui Deiparæ Sponsus, & Christi nutritius esse meruisti, esto defensor meus in hoc discrimine, & pro me deprecare Dei Filium, ejusque Matrem, ut quemadmodum tibi morienti astiterunt, ita & mihi quamvis indigno assistere non dedignentur. Tu Joannes amicus sponsi, vox divini Verbi, & Christi Præcursor, rectas fac semitas meas, & dirige in conspectu Domini viam meam. Tu claviger regni Cœlestis, Apostolorum Princeps, Beatissime Petre, pro tradita tibi potestate, solve vincula peccatorum meorum, & Cœli januam aperi mihi. Tu Joannes Evangelista, qui de Sacrario Dominici pectoris ineffabiles

divitias Divinæ suavitatis hausisti, illustra tenebrosam animam meam, afflictam recrea, illique impetra in egressu suo ardentissimæ charitatis affectum. (*) *Tu gloriose Monachorum Pater Benedicte, ne mihi imputes ad damnationem regulæ tuæ innumeras transgressiones, de quibus doleo quantum possum, sive ex malitia illa fuerint, sive ex humanâ fragilitate. Vos duces, & capita ordinis Cisterciensis S. Roberte, S. Alberice, S. Stephane, S. Bernarde, qui me arborem infructuosam jam per multos annos in hac vinea vestrâ adeo patienter sustinuistis, expectantes a me fructus, quos non nisi amarissimos parturivi, ah! ne me despiciatis in hac hora; filius enim vester ego sum, tametsi hoc nomine nequaquam dignus. Tu fortissime Christi Martyr, & Sanctissime Papa Stephane, in cujus die*

(*) *Piissimus Auctor quoniam Cisterciensi Ordini nomen dederat, Sanctos sui ordinis invocat, quorum loco quisque Sanctos illos, quorum patrocinio se commendare solitus est, adscribere poterit.*

natali per secundum Baptisma in solemni votorum nuncupatione renatus sum, respice me ab alto, & constantiam impetra in hoc prælio, ac de hoste Tartareo gloriosum triumphum.

Vos reliqui Sancti, & Sanctæ, quos speciali devotione veneror, subvenite misero, succurrite debili, & impetrate a Deo misericordiam. Amen.

XVII. *Orationes Circumstantium pro Agonizante ad Patrem.*

Omnipotens æterne Deus, Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis, tuam deprecamur immensam bonitatem, per ineffabilem illam charitatem, qua humanum genus dilexisti, quando Unigenitum tuum pro nostra Redemptione in hunc mundum misisti, ut pro nobis acerbissimam, & ignominiosissimam mortem subiret: Ostende, o Domine, in hac hora pietatis tuæ abyssum, & effunde charitatis tuæ dulcedinem in hanc rationabilem creaturam tuam, quæ nunc ad te Patrem Spirituum redit, ostende illi lucem miserationum tuarum, con-

forta mentem illius in te, intellectum illumina, voluntatem accende. Clementissime Deus, hunc hominem in te uno omnium ultimo, incommutabili, infinito, ac summo bono conserva. Protege eum ab omni potestate adversaria; a Sathanæ tentationibus, ab omni occursu contrario. Non secundum peccata ejus judices eum, sed secundum benignissimæ bonitatis tuæ immensitatem, secundum charitatem tuam affluentissimam, secundum multitudinem miserationum tuarum miserere illius, indulge illi, & parce: Suscipe spiritum illius in sanctissimæ dilectionis tuæ brachia. Hoc te rogamus per Unigenitum Filium tuum Dominum nostrum Jesum Christum, per universa ejus beneficia, & merita, per omnia Redemptionis nostræ mysteria, per quicquid in se ipso pro nostra salute assumpsit, fecit, ac passus est, per omnem denique bonitatem tuam o Pater, qui cum Unigenito tuo, & Sancto Spiritu unus es verus, solus, ac summus Deus. Amen.

XVIII. *Ad Filium.*

Obsecramus te, Domine Jesu Christe, per charitatis tuæ ardorem, quo te ipsum pro nostra redemptione tradidisti in mortem, mortem autem Crucis acerbissimam, atque turpissimam, & per tui pretiosissimi Sanguinis pro nobis liberalissime fusi pretium, per tuæ quoque amarissimæ passionis indeficientissimum, ac copiosissimum meritum; atque per tuam dilectissimam Matrem, perque maternæ compassionis illius acerbitatem, cum tibi usque ad tuum in Cruce excessum assisteret; mirifica pietatis tuæ abyssum in hoc famulo tuo a vitæ præsentis luce ad te omnium Judicem metuendum transeunte. Præpara animam ejus ad occurrendum tibi, & sine vera contritione, ac filiali ad te conversione ne eam a corpore separari permitte; Visita, & illustra mentem ejus visitatione tua secreta, & paterna, qua in ictu oculi justificas impium, & ex immundo mundum efficis. Mitte ei, o Domine, & Salvator, auxilium gratiæ tuæ a throno gloriæ tuæ, & a pietate qua latroni sero pœnitenti

indulgentissime promisisti: *Hodie mecum eris in Paradiso*; Etiam in hoc homine pietatis, & charitatis tuæ viscera ostende. Jube eum ad tuam misericordiam pervenire, clarifica animam ejus, & ostende illi faciem tuam, Salvator mundi, Judex supreme, qui cum Patre, & Spiritu Sancto vivis, & regnas Deus per omnia sæcula sæculorum. Amen.

XIX. *Ad Spiritum Sanctum.*

Spiritus Sancte Deus, Paraclete adorande, bonitatis, pacis, charitatis, & omnis dulcedinis fons immense, obsecramus te per tuam æternam ex Patre & Filio processionem, infunde nunc radium tuæ propitiationis in animam istam undique angustiatam: omnes malignorum Spirituum impugnationes ab ea remove: effunde in illam divitias gratiæ tuæ, eamque conforta, & erige contra universam vitiorum, ac Dœmonum metuendam aciem: fac eam plene contritam ad suum Creatorem fervide aspirare, & ad fontem totius puritatis, ac sanctitatis purificatam venire: Imple illam ea largitate, qua in

die Pentecostes igneis linguis super Christi discipulos descendisti. Dignare, o Divine Spiritus, hunc hominem illuminare & accendere, atque ad te totius salutis ac gratiæ fontalem originem perducere; qui cum Patre, & Filio vivis & regnas æqualis Deus per infinita sæcula sæculorum. Amen.

XX. *Aspirationes.*

Sequentes aspirationes usui erunt tum ipsi ægroto in extremis constituto, tum aliis adstantibus, qui & eas illi suggerere, & pro ipso ferventer recitare poterunt in tertia persona.

Domine Deus, peccata mea, quibus offendi te, mihi maxime displicent, nollem ea fecisse: in puncto vero mortis ostende mihi potius omnesDœmones cum omni terrore, & supplicio eorum, quam minimam culpam meam.

Uni, Domine, voluntatem meam cum sanctissimo beneplacito tuo, ut aliud optare nequeam, quam quod tu vis.

Corrobora me, Domine, contra diabolicas tentationes, & scuto misericordiæ

tuæ protege me, quia in præsidio tuæ bonitatis tota fiducia mea reposita est.

Domine Jesu Christe, pone passionem, crucem, & mortem tuam inter judicium tuum, & animam meam, & non intres in judicium cum servo tuo, quia non justificabitur in conspectu tuo omnis vivens.

Ne projcias me a facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas a me. Ne perdat me iniquitas mea, quem creavit, & redemit bonitas tua.

Clementissime Jesu, recognosce quod tuum est, absterge quod alienum est, & præcipe in pace recipi spiritum meum.

Benedico te, Domine, & me resigno ad omnia, quæ tibi placuerint in tempore, & in æternitate. Ego lutum, tu Figulus; fac de me vas in honorem ad gloriam nominis tui. Hic ure, hic seca; sed parce in æternum.

Abnego, Deus meus, omnia terrena, quia in te uno omnia habeo: Abnego me, quia tuus ego sum, & in te vivere & mori volo. Pone me juxta te, & cujusvis manus pugnet contra me.

Utinam possem, Domine Jesu, omnium

& singulorum, qui pro te passi sunt, pressuras solus sufferre, ut qualemcumque vicem redderem infinitæ charitati tuæ.

Ad te, Domine, desiderat anima mea, sicut cervus ad fontes aquarum: creasti enim ad te, & inquietum est cor meum, donec redeat, & requiescat in te. Quando liberabor de hoc exilio? Quando educar de hoc carcere? Quando veniam & apparebo ante faciem Dei mei?

Ego sum, Pater æterne, indignissimus ille servus, quem sic dilexisti, ut Filium tuum Unigenitum dares pro eo. Fac in hac hora misericordiam cum servo tuo, ne pereat in me pretiosissimus Sanguis ejus.

Domine Jesu Christe, ego sum ovis illa perdita, quam tu relictis nonaginta novem in deserto tam laboriose quæsivisti, & impositam humeris reduxisti: ne permittas ut eam rapiat, qui nunc circuit quærens quem devoret.

Miserere mei, Domine, in hac ultima hora mea tu qui languores nostros portasti, & cujus livore sanati sumus.

Ecce clamo plus corde, quam ore, Domine. Ecce tribulatio proxima est, & non

est qui adjuvet, non est qui liberet, & salvum faciat, nisi tu bone Jesu. Omnia peccata mea, Domine, in vulnera tua depono, atque in ignem immensum tuæ charitatis projicio. Ablue me, emunda, & sanctifica.

Offero tibi passionem, & mortem Filii tui Salvatoris mei, Domine Deus, & cum ea mortem meam, quam obsecro ut acceptare digneris in satisfactionem pro innumerabilibus peccatis meis. Moriar, vita mea, ne amplius te offendam. Deus meus, gaudium meum, te adoro, te veneror, & quibus possum modis glorifico. Illumina, dirige, & posside me in sempiternum.

Trahe me post te, Deus meus, expedi cor meum a creaturis, & erige illud ad te super omnia, atque in omnibus manentem. Sileat mihi strepitus rerum transeuntium, discedant vanæ imagines, & formæ, quas cogitationum instabilitas effingit.

Concede, Amor meus, ut desipiant mihi omnia, quæ male affecto animi palato placent: In te solo requiescam, in te solo delecter.

Tædet me gaudii quod est sine te; nec aliquid cupio extra te: amara mihi sit omnis dulcedo, quæ te non sapit; sit mihi dulcis omnis amaritudo, quæ est propter te..

Ubi es amor meus? Indica mihi ubi pascas, ubi cubes in meridie: quando veniam, & apparebo cum Sanctis tuis in gloria tua?

Ecce ad te venio, Domine, quem amavi, quem semper optavi: suscipe spiritum meum in pace sempiterna.

Scio, Domine, me non mereri conspectum tuum, tu scis tamen quia spes mea semper fuit in misericordia tua, fides mea in credulitate tua, & nunc moriar in confessione nominis tui. Suscipe ergo me secundum magnam misericordiam tuam, & non confundas me ab expectatione mea.

Veni Domine, noli tardare educ de carcere animam meam; Domine spes & fortitudo mea, vita mea, & salus mea.

Amor meus Jesu, adjuva me. Jesu Rex omnipotens, porrige mihi manum tuum: Jesu Fili Dei, miserere mei.

Regina Cœli, mundi inclyta Reparatrix, animam meam tuis manibus committo.

(*) *Sancte Pater Benedicte, sicut viventem in Domo tua me educasti, ita morientem suscipe, & ora pro me.*

Subvenite Sancti Dei, occurrite Angeli Domini suscipientes animam meam, & offerentes eam in conspectu Altissimi.

Pater adjuva me. Quanta dignatio Dei Patrem hominum esse! quanta hominum gloria Dei filios esse, & hæredes! Pater in manus tuas commendo spiritum meum.

§. 10. Affectus animae suspirantis ad patriam.

Optatissima mihi Civitas Dei, dulcissima Sion, cujus portas dilexit Dominus super omnia tabernacula Jacob, ad te suspiro de terra peregrinationis meæ, tui consors esse desiderans, & tecum lætari: sed detinent me inimici mei, & durissima opprimunt servitute, cujus jugum dum conor excutere, constituunt mihi prælia Amorrhei, Moabitæ cum cæteris alienigenis, & occupant invitum in operibus luti, & palearum. Video pro iniquitate mea

(*) *Hic Sanctos Patronos tuos invocabis.*

tentoria Æthiopiæ, & irascentes hostium exercitus, qui pertinaciter oderunt salutem meam, & renovationem meam, quam quotidie expecto. Verum ad te sunt oculi mei die ac nocte, serenissima Regio vivorum, unde veniet auxilium mihi: nec cesso animose pro te præliari, castra despiciens adversariorum, certamque habens adjutorii fiduciam in nomine Regis tui, Domini mei, qui fecit cœlum, & terram. Lego quidem nihil coinquinatum limina tua beatissima intrare posse, unde merito timere deberem, ne a jucundissima societate tua excluderer; quia cum sordidus sim, majora videor præsumere quam merear: Sed habeo fontem perennem aquarum viventium, quem Rex Regum præparavit in ablutionem peccatoris, & menstruatæ. Hujus undis salutaribus ablutus ad te accedere non verebor, quia ibi sordes deponam infelicis carnis meæ, & super nivem dealbabor.

Educ de carcere animam meam, Domine Rex æternæ gloriæ, dissolve me a vinculis, quibus constrictus teneor, ne ad te festinem: Tolle mihi terrenam habitatio-

nem deprimentem sensum; & animam aggravantem: visita me in pace, ut gaudeam coram te corde perfecto, & gloriosus ad te perveniam. Sufficit mihi Domine: quid hic diutius moror? Aperi portam regni tui, & introduc pauperem peregrinum ad te de exilio revertentem. Concupiscit, & deficit anima mea in atria tua: ad te sitio, & anhelo. Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam, quæ exilarat supernam patriam meam? quando inebriabor ab ubertate domus tuæ? Heu me, quia incolatus meus prolongatus est, habitavi in terra sterili & aliena, in deserto solitudinis, in regione umbræ mortis. Quid mihi vobiscum, filii hominum mendaces & dolosi, qui subvertere nitimini cor meum, ut fœdus ineam vobiscum, & deseram vias vitæ? Recedite a me omnes negotiatores terræ, qui operamini iniquitatem, sedentes in insidiis, ut interficiatis innocentem. Vos autem, amici mei filii matris meæ, quæ sursum est, miseremini mei, & mittite mihi auxilium de Sancto, mittite opportuna præsidia, & salutaria consilia, sicut stillicidia stillantia super

terram. Vos deliciis abundatis in mensa magna parata vobis ab origine Mundi; ego vero mendicus & pauper, cupio saturari de micis, quæ cadunt a mensa vestra, miseremini mei, quia hic fame pereo expectans diem gaudii, qua & ipse vocer ad cœnam nuptiarum Agni, ad lautissima convivia vestra, & pocula æternæ dilectionis, & interminabilis suavitatis.

Gloriosa dicta sunt de te, o beata Regio Paradisi, gens illustrissima, & felicissima patria electorum. Quam magna est multitudo dulcedinis tuæ, & desiderabilis possessio tua! ibi festivitas sine fine, veritas sine mendacio, solatium sine tædio, requies sine labore, scientia sine errore, dilectio sine invidia, securitas sine timore, societas sine confusione, laus sine intermissione, dies sine nocte, lux sine tenebris, vita sine morte, serenitas sine nube, æternitas immutabilis, omniumque bonorum perfectissima aggregatio. Ibi aderit quicquid amabitur, nec desiderabitur quod non aderit. Ibi summa satietas, & summum inerit desiderium. Ibi sunt mira & ineffabilia, quæ non licet homini lo-

qui. Sensu non capitur, aut intellectu tanta felicitas, desideria & vota transgreditur, acquiri potest, æstimari non potest. Ibi vacabimus, & videbimus quam dulcis sit Deus, quam gloriosus, & mirabilis in Majestate. Ibi cognoscetur & amabitur beata Trinitas, & inseparabilis unitas sine figuris, sine ænigmate, sine intermissione. Ibi est unice dilectus Ecclesiæ Sponsus Jesus Christus, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei. Ibi regnat perpetua Virgo Maria Paradisum exornans specie sua, & pulchritudine sua. Ibi innumera beatorum Spirituum multitudo cantantium coram Deo, & jubilantium in organis, & citharis suis. Ibi agmina Sanctorum pretiosissimis redimita coronis, vel de passione purpureis, vel de doctrina viridibus, vel candidis de Virginitate. O quam gloriosum est hoc regnum, in quo cum Christo triumphant omnes Sancti! o quam felix societas exultans in gloria, & lætabunda in cubilibus suis! quam pulchra Tabernacula tua, Civitas Dei summi, quam deliciosi thalami amoris tui! melior est dies una in atriis tuis, quam diu habitare in Tabernaculis peccatorum.

Utinam liceret mihi audire concentum suavitatis tuæ, quæ accenderet me ardentissimo desiderio fruendi deliciis tuis, & sic vilescerent mundi bona, quæ lacerant præcordia mea. Cupio dissolvi & tecum esse, o æternum solstitium, speciosus meridies, mansio sècura, ager delitiarum, & lux purissima cordis mei. Te requiro die ac nocte, ad te suspiro, & de longe contemplor diligens decorem tuum, & locum habitationis gloriæ tuæ; sperans ab ubertate tua inebriari, & potari torrente voluptatis tuæ; Hæc recordatus sum, & effudi in me animam meam, quoniam transibo in locum tabernaculi admirabilis, usque ad domum Dei. Hæc requies mea in sæculum sæculi, hic habitabo, quoniam elegi eam. Tunc lætabor, & exultabo in te, quia fuisti adjutor meus, & delectabor super salutari tuo. Tunc satiabor, & implebitur desiderium meum, cum apparuerit gloria tua, Domine Deus meus, qui es felicitas omnium Sanctorum, & merces mea magna nimis. Amen.

LAUS DEO.

INDEX